BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 D
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

43. 2. 7.
43
f.
7.

H.52 / 33

Digitized by Google

DE VERO ET CHRISTIANO PRINCIPE

Deque eius visibili hic in Terris Ministerio.

LIBRI DVO.

Authore R. D. MATTHAEO SCOLASTICO S.S. Theologiæ & I. V. Doctore, atq; S. D. N. CLEMENTIS PAPAE OCTAVI, Eiusdemque Sanctæ Sedis Prothonotario Apostolico.

AD SERENISS: PRINCIPEM

Ferdinandum Archiducem Austriæ, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

PATAVII, Apud Franciscum Bolzettam. M. DCI.
Ex Typographia Laurentij Pasquati.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. FERDINANDO Archiduci Auſtriæ,

Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ ac VVirtembergæ, &c.

Comiti Tirolis, Goritiæ, Habſpurgi, &c.
Domino meo Colendiſſimo.

HOC ſemper fuit, Sereniſsime Princeps, animi mei deſiderium, piaq; in Rempub. Chriſtianam affectio, vt omnes labores meos ſtudiaq; illius promouendæ & ampliſicandæ gratia eò conferrem, primoq; ab literarum exordio aliud non ſubijt, quam vt plurimum eidem quandoque prodeſſe poſsim. Adauxit hũc animum meum quondam Sereniſsimi Ar-

chiducis CAROLI Principis pientissimi, singularis in me clementia & benignitas, qua me semper (etiam nescium huius rei) ad maiora virtutum studiorumq; merita prouocauit. Maximum profecto id fuit beneficium sanctèq; recolendum, quod relicta hæresum perfidia, sub tanto principe fidei Christianæ religionisq; Catholicæ præceptis institutus, atque illius in Archiducali Græcensi Collegio artibus liberalibus edoctus, illiusq; Duce Deoq; fauente Philosophiæ Sacrosanctæq; Theologiæ secreta penetrarim: ad quod non minus me iuuit Gregorij XIII. Pontificis laudatissimi liberalitas & beneficentia, qua suorum alumnorum me placuit inibi numero adscribi sicq; Ecclesiæ necessitatibus paulatim accommodare. Voluit equidem Serenissimus Carolus me postquam iam studiorum philosophiæ terminos posuerim, Cæsarei Iuris fastigium ascendere, atq; Italiam petere: Verum probè Societatis Iesu patrum cohortatione factum est, Deiq, gratia præueniente effectum, quod Ecclesiastici muneris participem

cipem

cipem pro ipsius hic in terris Ecclesiæ militã tis necessitatibus occupari voluerint. Quã vero leue & exile opus ex me hactenus Ecclesiæ accesserit, nullaq; Sereniss: Principi CAROLO grati animi significatio, ipse mihi testis esse possum. Fuit quidem animus in ciuitate Carinthiorum Sancti Viti olim metropoli, grandisq; laborum copia, vbi vltra triennium ad placitum prælibati principis distentus atq; ad mortem ipsius vsq; defatigatus, minus tamen respondit conatibus præexoptatus effectus, sic hominum illorum extitit durities, profundaq; mentis excæcatio. Vnde ne in vacuum cirrerem, apud me effecit Illustrissimus & Reuerendiss: Dominus Christophorus Andreas liber Baro de Spauer & Valler. Episcopus Gurcẽs: atq; prædicti Principis olim Consiliarius à secretis, vir sanè de Ecclesia Dei meritissimus simul et Pastor vigilantissimus, quod post obitum sui in Episcopatu suffraganei, eiusdem Vicariatus prouinciam in me susciperem, atq; Cathedralis illius Ecclesiæ Gurcens. cuius ante multo prædicatoris munere

per-

perfunctus, consistorialium causarum audiendarum munia subirem, quibus septem annorum spatio, non tam profui quam præfui: neq; aliud tunc potuit tenuitas ingenij mei, quamuis aliud forte exposcebat rerum magnarum causarumq; emergentium vicissitudo. Quo deinde tempore, rebus sic ferentibus Italiam inuisere votumq; Deo persoluere debui, eaq; quæ studiorum meorum integritati deesse videbantur adsciscere, vt tandem pro debito meo bonorumq; acceptorũ gratitudine Serenitati Vestræ suisq; prouincijs promptior paratiorq; inseruirẽ, illudq; factis præstarem, quod charissimo Parenti ipsius faciendum dudum animo concepi. at vero mortuus est Carolus, Carolus inquam parens Serenitatis vestræ Princeps optimus, verum viuit in Ferdinando Carolus Carolinaq; sacra prostat progenies. Hinc merito Serenitati vestræ omnia me debere existimo, quæ omnia à Carolo me accepisse dico. Mecum vero quàm feliciter agitur qui in amore Serenitatis vestræ sum, quæ me omniaq; mea sibi tuenda suscepit, meq;

meq; nomenq; meum Sanctisſimo Domino Noſtro Clementi VIII. Pontifici clementisſimo literis ſuis ſuggesſit, effecitq; apud eundem, vt prater innatam ſibi clementiã & ſummam gratiam, qua in me vſus eſt me in ſuum & ſancta Sedis Apoſtolica Prothonotarium Apoſtolicum creauerit, alijsq; ſingularibus gratijs et priuilegijs pro Serenitatis veſtra prouinciarum incremento cohoneſtauerit, pro qua dignitate conſeruanda omnia qua huic ſunt neceſſaria Serenitas veſtra ſuppetit, maioraq; in dies fauoris & clementia argumenta depromit. Gratisſima ſemper mihi extitit ſingularis illa Serenitatis veſtra in me clementia & promptitudo, qua me ſuperiori tempore quãdo ex prouincijs ſuis in Italiam pergerem præſente dulcisſima matre ſua proſequi voluit ac adrectè agendum pro prouincijs ſuis riteq; Deum deprecandum cõmonere, quod tanto magis cordi mihi eſſe debuit quanto me ex natura obligatum magis, magisq; debitorem agnoſco. idq; nos commonent diuina eloquia, pro principibus noſtris exor-

re, vt quiete & tranquille ſub eorum regimine vitam agamus. Nec ex hoc ſi rectè me feciſſe credo, muneri meo ſatis etiam feciſſe affirmarim, multo namq; excellentius magisq; præclarum moliri debet opus, vt huius tanti Principis maieſtatem adæquet, cuius tanta eſt in rebus agendis dexteritas, in propaganda religionis Catholica ſyncerit as, in hæreſum hæreticorumq; expulſione cõſtantia, atq; in acerbisſimorũ vitæ caſuum infortuniorumq; omnium æquo animo perferendorum fortitudo, vt vnum ſolum FERDINANDVM dixerim, qui ſeſe hæreticis opponat, malleumq; hæreticorum ſe deprædicet: tamque ſtupendum & inauditum hoc Principis FERDINANDI factum eſt, cunctisq; hoc calamitoſo ſæculo quo omnia bellis & hæreſi ardent, mortalibus ſuſpiciendum, vt aliunde nullam mihi ſcribendi materiam commodiorem accidere potuiſſe libere dicam, quam ad toti terrarum orbi, firmisſimum, inuictisſimũq; FERDINANDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ animum, inexpellendis

hære-

hæreticis, denunciandum proposuerim ad illudq; omnes principes alios inuitandum, vt hoc solo viuant contenti principis exemplo, quo s. suo se muneri atq; diuinæ iussioni satis superq; feciſſe cognouerint. Quod fortissimi pectoris exemplar zeliq; præstantissimi pro domo Dei, si posteri sibi proposuerint, vt nos modo ex FERDINANDO expressam quandam Ideam intueri videmur, sic illis olim eximiam imaginem conspicere licebit, vt non minorem ex ea uoluptatem, quàm fructum percipere possint, quem nunc cunctis suppeditat præclara natura Serenitatis vestræ indoles, tribuit doctrina, suggerit consuetudo, augetq; bene semper agendi & zelandi pro domo Dei perpetuitas, veraq; idipsum Christiani principis requirit authoritas & dignitas. Princeps enim erga alios munus proprium habet curæ & solicitudinis eorum, quibus præponitur, & hoc maxime ostendit principem quod suorum curam agat eisque prouideat & prospiciat, nunquam autem melius & fructuosius consulet suis princeps subditis,

quam ſi quæ vitæ & corporis animæq; aduerſantur ſaluti, auertit, hoc autem eſt hæreſis, quæ ſimnl corpus et animam deſtruit, diſperdit & exinaninat. Ideo Chriſtus Ioãnis x. cap. Paſtor bonus non dicit honoratur aut colitur, ſed animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, hæc eſt principatus paſcendiq; ſcientia perfectiſſima, ſua potius negligere, vt eorum quos regit curam agat &c. quæ ſcribit D. Chriſoſt. in pſal. 113. *tom.* 1. *Sic ex Græcis nomen* Βασιλεὺς *vt habetur in Etimologico, quidam à* Βάσις *&* λεὼς *deduxerunt, vt qui ſit* Βάσις τοῦ λεῶ *quod in eo ſit veluti fundata ſalus populi, alijs tamen* Βασιλεὺς *quaſi* ἀσινεὺς, *vt qui ſit inuiolabilis. quam ob cauſam hos libros eo nomine inſcribere volui; De vero & Chriſtiano Principe eiusq; viſibili hic in terris miniſterio, vt teſtificarer eam Serenitatis veſtræ curam eſſe, non quæ in ciuili tantum repub. inſtituenda verſatur ſed quæ ita ciuitates prouincias q; attemperat & diſponit, vt ad Chriſtianam religionem eamq; Catholicam potiſſimum fouendam, eiusq; præceptis ciues im-*

buen-

buendos dirigatur. Hæc in primis omnibus philoſophiæ partibus excellit, hancq; princeps Sereniſſime magno olim & excellenti ingenio uiri, cum ſe rerumpub. ſuarum reformandarum ſtudio dediſſent, quicquid tẽporis quicquid laboris poterat impendi, contemptis alijs omnibus, ad hanc unicè faciendam operam, omne ſtudium ſuum contulerant; exiſtimantes multo eſſe præclarius, diuinarum humanarumq; rerum permouere rationes, quam aut ſtruendis opibus aut cumulandis honoribus inhærere, quibus rebus, quoniam fragiles terrenæq; ſunt, & ad ſolius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo felicior, nemo iuſtior eſſe poteſt. Quẽ adm. S. Auguſt. lib. 5. Ciuit. Dei c. 24. dũ Chriſtianos principes nõ ideo felices cenſendos eſſe teſtatur quod diu regnarunt, uel quod hoſtes ſuos contriuerunt, uel quod ciuium in ſe inſurgentium impetus retunde-
„ *re potuerunt*. *Hæc enim (inquit ille) et a-*
„ *lia uitæ huius ærumnoſæ uel munera uel ſo-*
„ *latia, quidam etiam cultores dæmonum ac-*
„ *cipere meruerunt, qui non pertinent ad Re-*

„ gnum Dei, quo pertinent iſti. & hoc ipſius
„ miſericordia factum eſt, ne ab illo iſta qui
„ in eum crederent uelut ſumma bona deſide
„ rarent. Sed eos principes & Imperatores
felices dicit eſſe habendos, qui iuſte impe-
rant, qui malunt cupiditatibus quam qui-
buslibet gentibus dominari, qui omnia fa-
ciunt non ut inanem gloriam captent ſed ut
felicitatem æternam aſſequantur: quo au-
thoritatem quidem & poteſtatem gerant
ſed ad Dei cultum, quo nihil ſibi antiquius
eſſe debet, maxime dilatandum qui Deum
timent, diligunt, ſuſpiciunt, uenerãtur, qui
regendæ tuendæq; reipub. cauſa non ſaturã
di odij deſiderio & ſtudio facinora & male
ficia grauiter uindicant, qui ueniam non ad
impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem corre
ctionis prudenter nonnunquam indulgent,
qui deniq; ſi quid aſpere coguntur pro bono
reip. decernere, beneuolentia & liberalita-
te compenſant. Tales profectò Imperato-
res et principes Chriſtianos felices interim
ſpes beatos reipſa poſtea futuros exiſtima-
uit S. Auguſt. talesq; imitata eſt Sereni-

tas

tas Vestra Serenissime princeps. Nec iniuria: naturalis enim & diuini luminis radij ita sapientum hominum mentes illustrant ut cum sectati fuerint dictum maiorum suorum, qui sanctissimi & sapientissimi fuerunt, facilè experiantur stetisse quidem & floruisse imperia, primum pietate & Catholica religione, deinde consilio veritate et iustitiæ integritate: ijs autem omnibus remotis corruisse. nunquam siquidem Catholici principes ex animo Deo adhæserunt, quin de hostibus insignem victoriam reportarunt & glorioſum triumphum egerunt. Notæ sunt in primis victoriæ illæ quas olim Abraham, Moyses, Iosue, Gedeon, Samuel, Dauid, Ezechias, Iosias, Machabæi sibi ingenti cum laude pepererant, quasq; in lege gratiæ multi Christiani Principes mirabiliter consecuti sunt. Ex his Constantinus qui primus Imperatorum Ecclesiã Catholicam defendit, eodem fere modo Maxẽtium uicit, quo Moyses Pharaonẽ, et Theodosio Iuniori ut author est Augustin. 5. Ciuit. cap. 25. 26 ita prospere eueniebant sem-

per

per omnia quia Catholicus erat, ut in prælio quod cum Eugenio tyranno commiſit, tela hoſtium in ipſos Deo agente retorquerentur: Theodoretus vero lib. 5. hiſt. 24. addit Imperatorem in prælium deſcendiſſe non tã militum copijs quam Dei auxilio nixũ, qui ad ſe auxiliares anteſignanos et duces beatos Apoſtolos Ioannem & Philippum miſerat, quibus belligerendi principibus Tyrãni exercitũ profligaret. Qua parta victoria in morbum delapſus, cum filijs Imperium diſtribueret, eos veram pietatem colere hortabatur, conſtanter aſſeuerans ea & pacem conſeruari, bellum extingui, hoſtes in fugã verti, trophæa erigi, et victoriam deniq; conſtare. Meminit idem Auguſt. lib. Ciuit. 5. c. 23. de Honorio, qui planè Catholicus fuit Imperator atq; Romano Pontifici addictiſſimus, quod de pro ſe dimicante ſupra centum millia hoſtium vno prælio proſtrata, & regem cum filijs captum & occiſum vidit. De Theodoſio Iuniore ſcribit Socrates lib. 7. hiſt. c. 18. quod cum Perſis bellum gereret, angelos Dei iuſſu turbauiſſe Saracenos

ceucs & circiter centum millia eorũ in Euphrate ſubmerſiſſe. Iuſtinianus quamdiu Catholicus fuit, inſignes victorias adeptus eſt, vbi vero à Catholica religione defecit, & publico edicto imperare tentauit, vt hæreſis ſua ſuſciperetur, inexpectata et repentina morte ſublatus eſt Euageius lib. 4. c. 16 et ſeq. Heraclius quoq; dum intra Catholicæ Eccleſiæ gremium manſit, Persas magna cum laude proſtrauit, et crucem Domini eo tempore apud barbaros detentam recepit, quo res Romæ magno in diſcrimine verſabantur, ſed poſtquam monothelitarũ ſectæ adhæſit omnia ei infeliciter ſucceſſerunt. Sic noſtrates adhuc videmus Reges et Principes vbi contra religionem Catholicam hæreſes et errores contuentur, ſibi inobſequentes experiri ſubditos, colluuiem & inundationẽ Regnis ſuis inuehi, leges ſuas, & iudicium contemni, ditiones ſuas turbari, tumultus bellicos in ſe oriri. Attendãt ergo reges & principes, ſuperbiam amolian tur, motus inanes comprimãt, dent operam vt honores immodici, opes ingentes, luxus

regius,

regius, apparatus magnifici peſtifera adulatorum frequentia, ſubdola hominum perditorum calliditas, tenebras animis ſuis offundant, & mentes illorum in deteſtabiles errores impellant. Circumſpicite vos magnopere quæſo obteſtorq; , populosq; veſtræ cuſtodiæ cõmiſſos, & eos à ſceleratorum iniuria, maxime vero hæreticorum vindicate, regias veſtras mente et oculis luſtrate ; & ab ijs ſiquid ibi vitij eſt, quam primum expellite, nec in conſpectum veſtrum aſſentatores venire patiamini, neq; hæreticos homines in veſtris regionibus viuere ſinatis , ne ve malitiam illorum diſſimuletis : eſt enim diſſimulatio in omnibus rebus humanis grave crimen, ſummum vero et inadmiſſibile in rebus fidei, & in ijs quæ ad cultum diuinum tranquillitatemq; & incolumitatem Reip. pertinent . Quod aduertit Serenitas veſtra dum viuente adhuc clariſſimo parẽte ſuo nihil vel parum in reformãdis ciuiũ moribus veraq; & Catholica religione propaganda vtilitatis adferre, vel indulgentiã vel diſſimulationem. Quare opus fuit eam

rebus

rebus propemodum labescentibus adhibere tempcriem, vt vitia, errores, & hæreses extirpentur, virtutes & rectæ fidei præcepta inserantur, ciues pace & tranquillitate fruantur, cunctæ deniq; prouinciæ Serenitatis vestræ omnesq; status optimo veroq; principe recreentur. Quod Sanctissimum Serenitatis vestræ ministerium nouumque genus expurgandi prouincias & regna, et si plurimi fastidiant, omnes tamen viri Catholici id quam maxime collaudant, & annalibus suis sempiterno æuo commemorandum conscribunt. Fuit hoc Serenitatis vestræ reformandæ religionis initium felicissimum multis varijsq; encomiorum laudibus celebratum in Romana terra, admirandumq; visum cunctis Illustrissimis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, stupendissimum alijs Principibus Catholicis, atque ipsi Sanctissimo Christi hic in terris Vicario CLEMENTI VIII. Pontifici Optimo Max. plenum perfectumq; gaudiũ, quo alios inter Principes omnes Serenitatem vestram solum id præstare intellexit, tã

to ſtudio & ſolicitudine, tantoq; animi feruore, tamq; nouo & hactenus modo inaudito, quod alios omnes principes ad conſummationem ſanctorum facere lachrymãdus ſæpe ſæpiusq; deprecatur. Non eſt profecto Sereniſſime Principes, aliud in mente huic Sanctiſſimo Pontifici, quam fidem Catholicam excolere, hæreticos ad illius agnitionẽ inuitare, reges principesq; in vnum congregare, totum deniq; Orbem terrarum ſancta Dei Omnipotentis benedictione adimplere. Teſtimonium huius rei ipſe ego adferre poſſum, quam piè, quam ardenter quã affectuosè is Pontifex Serenitatis Veſtræ prouincias cupiat conſolidari, aliorumque omnia regna et prouincias adiuuare, dum eidem literas, quas Serenitas veſtra eidem Sanctiſs. D. N. pro me perſcripſit, homilimè offerrem, pluribusq; eidem prouincias ſuas commendarem. Teſtantur id quoq; eiuſdẽ ſanct. literæ, quas ipſe, quidem nunc tardius quam volebam ex infirmitate et ob impreſſoris occupationes Serenitati veſtræ ſupplex reſpondeo. Teſtatur deniq; hoc ipſum

San-

Sanctissimi Pontificis ad me facta commonitio, quam dum nuper pro sancta ipsius Benedictione coram prostratus, discessus mei rationes exponerem, Sanctissimo religiosissimoq; animo præstitit, serioq; exhortatus est, vt ad id animum conuertam, quatenus religio fidesq, Catholica in prouincijs istis promoueatur, atq; Serenitatis vestræ optimus de religione Catholica cõseruanda propugnandaq; animus indies augeatur et adiuuetur. Quæ omnia in causa fuerunt, quare hos de Vero Christianoq; Principe libros, quas dudum in Alma Vrbe ex varijs probatissimisq; authoribus longo continuatoq; labore collegi, collectos digessi, digestosq; in lucem ederem, nominiq; ac splendori Serenitatis vestræ consecrarem, quo sic testatumq; relinquerem quam sum paratissimus nihil non quod ad Serenitatis vestræ amplitudinem prouinciarumq; suarum stabilimentum, atq; fidei religionisq; Catholicæ propagandæ integritatem spectat, attentare. Possem hic forte alijs videri adulari, at vero res ipsa ornari nequit, contenta do-

ceri : neq; pollicitationibus diffluo, omne.n. quod possum Serenitati vestræ atq; Ecclesiæ Catholicæ debeo, & offero. Faciat ergo Serenitas Vestra, vti facit, quod constans in me amando existimetur; conabor ego breui alia pro fidei Religionisq; Christianæ incremento, sub nomine & clarissimo Serenitatis Vestræ præsidio in lucem producere, planeq; ne in ingratum hominem, in immemorem saltem, beneficium hoc tantum contulisse videatur, efficere. Quam DEUS Opt. Max. Vna cum charissima Coniuge, suaque Matre Serenissima, et tota domo Austriaca saluam & incolumem suæ afflictæ & plurimum perturbatæ Reip. Christianæ conseruet tueaturque. Paduæ Antenoris Anno M. DC I. xv. Die Mensis Maij.

Serenitatis Vestræ

Humilis & deuotus Orator

Matthæus Scholast. Doctor.

Omnia iudicio & cenſuræ Sanctæ Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ, eiusque Sanctisſimi hic in terris ſummiq; Antiſtitis CLEMENTIS OCTAVI Papæ Authoritati ſubijcio, meq; meosque labores & conatus Sanctisſimæ eius Benedictioni, commendo.

Summa

Summa Capitulorum Libri Primi.

De Vero & Christiano Principe eiusq; visibili hic in terris ministerio.

Cap.1. Omnẽ hominis societatem aliquo capite indiger.

Cap.2. Vt humana societas superiore indiget, ita eadem sine legibus diu salua consistere nequit.

Cap.3. Ciuitates & leges sine magistratibus esse non posse.

Cap.4. Qualis magistratus esse debeat, & quæ sit illorum vocatio.

Cap.5. Vnus solum Princeps necessario constituitur.

Cap 6. Qualis Princeps esse debeat?

Cap.7. An Princeps possit esse Hæreticus?

Cap.8. An Princeps esse possit partim Catholicus & partim Hæreticus?

Cap.9. An qui vitijs & sceleribus indulget, ad populi & Ecclesiæ destructionem, princeps esse debeat?

Cap.10. Quibus virtutibus imbutus esse debeat princeps.

Cap.11. Quare Deus permittat malos principes & auferat bonos?

Cap.12. Quod bonus princeps per populum à Deo peti debeat?

Cap.13. An Principatus sit immediate à Deo vel ab hominibus?

Cap.14. Vtra sit maior spiritualis vel secularis potestas, & quomodo distinguantur ab inuicem?

Cap.15. Melius est habere principem Natiuum quam peregrinum ex electione, vbi tamen soluitur de electione Summi Pontificis & Imperatoris obiectio.

Cap. 16. Quod FERDINANDVS Archidux Austriæ talis sit princeps, qualis hactenus descriptus fuit.

Cap.17. Quantum commodi & vtilitatis accedat ex tali principe prouincijs?

Finis Indicis Libri Primi.

Summa Capitulorum Libri Secundi

De Vero & Christiano Principe, deq; ipsius visibili hic in terris ministerio.

Cap. 1. Proprium principes est officium, facere iustitiam.

Cap. 2. Principis est hæreses extirpare, quod est maxima pars iustitiæ, vt minister Ecclesiæ.

Cap. 3. Principis est Hæreticorum scholas & exercitia submouere: tamquam brachiũ Ecclesiæ.

Cap. 4. Principis est libros Hæreticorum prohibere, cõburere: vendentes & imprimẽtes punire vt executor Decreto ũ Ecclesię, cuius est primo & p se hæc oĩa peragere & vt conseruator legum Ecclesiasticarum; illis suas similes, si opus est, coniungendo.

Cap. 5. An expediat in vulgari lingua fidẽ Catholicæ mysteria populo esse obuia?

Cap. 6. Principis est demoliri Ecclesias hæreticorum, cum Ecclesia ad ipsum confugit, inuocando ipsius auxilium.

Cap. 7. An cogi possint Hæretici ad religionem?

Cap. 8. An iure se intromittere possit princeps, pro rebus fidei & religionis?

Cap. 9. Quantum principum sæcularium in Ecclesiam profuerit, cura & vigilantia?

Cap. 10. Veri & optimi Principis est verã Dei religionem Catholicam procurare, & tueri.

Cap. 11. Quid sit vera Religio?

Cap. 12. Religionis verum & essentialem esse characterem missæ sacrificium.

Cap. 13. Sanctissimi huius sacrificij legitimum ministrum esse Sacerdotem.

Cap. 14. Sacerdotum omnium supremum esse Episcopum & omnium Episcoporum Summum Pontificem Romanum.

Cap. 15. Singulariter & ad hoc destinato loco sacrificandũ Deũq; venerandum esse.

Cap. 16. Quam infeliciter cessit factum in demoliendis & prophanandis Ecclesiis Catholicorũ

Cap. 17. Vt principis est Ecclesiam, religionemq; tueri, sic earundem & clericorum priuilegia manu tenere, abususq; earundem auertere.

Cap. 18. Ecclesia petens auxilium à Laicis, si non ferant, an committatur iniustitia?

Cap. 19. An Laicis competat aliqua Iurisdictio in Clerum?

Cap. 20. Gaudentes priuilegio Clerici, si detineantur à Laicis, ad ordinarios remittendi sunt.

Cap. 21. Causis priuilegiatis Clericorum an se Laici intromitte-

re

re possint?
Cap.22. Quid Iuris veniat Ecclesiæ cum Laico in sacrilegio, Iuramento & vsura?
Cap.23. Quid Iuris habeat Ecclesia in Decimis?
Cap.24. Quid Iuris sit de Iure patronatus in Laico?
Cap.25. Quibus modis acquiratur Iuspatronatus?
Cap.26. Quid vtilitatis secum adferat Iuspatronatus, quidue oneris?
Cap.27. An præscriptione aliqua vel priuilegio acquiratur Iuspatronatus?
Cap.28. Quis sit Iudex competēs Iurispatronatus?
Cap.29. Quibus alijs modis exhibeatur per principem iustitia in subditos?
Cap.30. Vt iustitia rectè administretur opus est Principi bonis Consiliarijs?
Cap.31. Post Consiliarios Principis, constituendus est Præfectus prouinciæ.
Cap.32. Post Præfectum prouinciæ sunt constituendi à Principe qui grauamina alia subditorum prouideant.
Cap.33. Vt Princeps securus fiat de administrata iustitia Fiscalem constituet.
Cap.34. De Iudicibus, & aduocatis iudicum.
Cap.35. In complementum administratę iustitiæ, syndicatum esse oportet.

Finis Indicis Libri Secundi.

ECCLE-

Ecclesiastici.
Cap. X.

Iudex Sapiens iudicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit: secundum Iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis Rector est Ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Ecclesiastici Cap. VII.

Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere in iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.

Errata quędam grauiora inter corrigendum animaduerſa.

Fol 3.b verſ. 16. pro quia, leg. qui. f. 4. a. ver. 33. pro nitura. l. natura, eod. f. b. ver. 5 fraue. l. fraude, ib. ver. 34. Plato. l. Prutarchus f. 5. ver. 9. ſanguinem. l. ſanguine. f. 8. ver. 2. a. tempore. l. tẽpora. f. 10 ver. 11. a. variè l. variæ. f. 11. ver. 1. a. ægeſtate, pro egeſtate, & eod. excludendas l. excludendos. f. eod. b. ver. 5. & 6. l. 1. de præpoſit. argentuum in reb. C. ne quis ex vltimis &c. ſic reſtituas l. 1. C. de præpoſitis argantinm in reb. lib. 12. l. vnica C. negotiatores ne militent. eod lib. 12. ne quis ex. &c. f. 13. a. ver. 20. ipſis magiſtratibus meliorem &c. ſic diſtingue. ipſis magiſtratibus meliorem, tunc, &c. eod. f. ver. 25. vatui l. vacui. eod. f. b. in prin. c. 5. commodari. l. accommodari. f. 14. a. verſ. 12. loco, pro locum. f 15. a. ver. 8. monarchicam, pro monarchiam. eod. f. 6. ver. 14 fermæ, pro fermè. f. 16. b. uer. 5. & l. ex. f. 19. b. ver. 1. cũq; ꝑ eũq; f. 20. b. ver. 31. vellet, ꝑ iubet. f. 23 b. ver. 7. ſic diſtingue, cultor verus Princi. ſacrarũq; ib. verſ. 11. Lactan. Trimia. l. Lactan. Firmia. ver. 13. ib. ſic à natura enim videtur, l. à natura. n. videtur. f. 24. ver. 18. adeſt, pro adeſſe. f. 24. ver. antepen. cuſtodite, pro cuſtodire f. 27. ver. 27. a. quoruth. l. quorum. f. 38 ver. 26. a. cinxerunt. l. linxerunt, eod fol. ver. 16. b. oſtem, l hoſtem. f. 55. ver. 29. a. *συννεῖθετὼ*, lege, *συννεῖθεσυν*. f. 69. ver. 19. a. excreuerit, l. exercuerit & f. 20. clauum, l clauiũ. eod. f. ver. 3. b. aggrepiemur. l. aggrediemur. f. 70. ver. 1. a. vnitionibus. l. vnionibus. eod. f. ver. 25. b. feri. l fieri. fol. 78. ver. 8. a. ſic diſtingue, & regnũ fratris Garciæ. Altioris vero, &c. fol. 20 verſ. vlt. a inqua. l. iniqua. f. 83. ver. 20. a. prætermitum. l. prætermittam. eod. f. 6. ver. 3. Epiſcopus, l. Epiſcopis. f 84. ver. 2. a. vibiliter, l. viſibiliter f. 92. a. ver. 13. varities l. vafrities, & ver. 26. pro Rex, l. ex eod f. ver. 18 Draconus, l. Diaco. f. 93. b. ver. 3 transferat, l transferant. f. 97. b. ver. 3. ſeire l. ſerie. f. 98. ver. 12 b. contutus, l contuitus. f. 104. ver. 14 b. accedere, l. accidere. & ver. 17. videbatur l putaret. ib. ver. 21. credebatur, l. credatur. ib. ver. 31. innuit. l. iniuit. f. 108. conſulium l. conſilium. f. 112. ver. vlt. a. *συμποβιάκωμ*, l. *συμποσιάκωμ*. eod. f. 6. ver. 2. *ἀμαξνάμ*, leg. *ἀμαξνάμ*.

Libro

Lib 2.f.1.a ib. Neq; ipſius hic torris. l. Deque ipſius hic in terris fol.2.ver.14.b.ſint.l.ſicut f 4.ver.8.gubernat.l gubernet fol.5.ver.20 b.firmetur l.firmatur, pro conſeruet & augeat, l. conſeruat & auget & ver.22 perdit, minuit. fol.20.ver.20.b. ſiue, l.ſint f 57.ver.32 a.paſſi, l.poſee f.68.ver.25.b tota.l.iota fol 90 uer.27. a. accentibus, l accidentibus. fol.92.ver.vlt a. ſalem, l ſolum.f.226 ver.29.a medicum, l iudicum.f 227.ver. 20 a.reddidit, l iudici.f.228. ver 4.b. remirare, l. renouare.f. 232.b.ver 2.idem leg. eundem. In Exhortatione fol.1.ver. 1.b hæreſos.l.hæreſeos fol.9.ver.4.a. confetum, l confectum. fol.vlt.in approb. Ianuarij, leg Octobris 1600. Reliqua benignus Lector pro ſuo candore corrigito.

LIBER PRIMVS.

De vero & Christiano Principe, deq; ipsius visibili hìc in terris, ministerio.

CAPVT PRIMVM.

Omnem hominis societatem aliquo capite indigere.

COmmune & peruulgatum est illud philosophorũ axioma quod omne agens propter finem agat, & finis ipse, cum rationem boni habeat, factum est, quod omnes à natura bonum appetant, illudq; ad tuendũ propagandumque, certa quadam lege, & ordine ducantur: ipsius vero contrarium quã maximè detestentur, Ducis sui normam, & quod ipsis in natura simile est amplectendo. Vnde prouidens illa virtus singulis quibusq; generibus à se creatis, certas naturæ & efficacitatis leges indidit, adeo vt nihil vel in cœlo, vel sub cœlo, actionis aut passionis expers, eorum aliquod otiosum esse voluerit, nihilque quod pro ratione & modo virtutis sibi insitæ, conditionisque traditæ, sui non authoris, semper viuentis & agentis imitaretur exemplum, vt ita cuncta admirandam Dei bonitatem atque vniuersi decorem componerent.

Cuius rei ordinem naturæq; instinctum singularẽ quibuscunque libuerit, promptum est cognoscere tũ ex ijs, qui de illorum natura scripserunt philosophi,

tum ex magni Basilij in Hexameron narratione in qua mirabilem, & pulcherrimo cum ordine, coniunctam disciplinam haud obscure ostendit, prçsertim in volucribus & pennigeris, quorum alia suo principe carent, alia vero suis veluti legibus viuunt, alia vero sub ducibus militant: neque vlli dubium est, quomodo grues nocturnas vigilias alternis vicibus suscipiãt, eaque ratione & ordine, vt dum aliæ dormiunt, aliæ illis tutissimum in orbem circumeuntes somnum præstant. Neque ibi solum, sed etiam in volatu hanc eandem disciplinam ab ipsis exactissime obseruari cernes, alia namq; Ducis quandoque munus suscipit, quod certo in volatu temporis spatio elapso, retro transiens, sequenti tradit. Sic de Apibus magis admiratione dignum videtur, quibus commune domicilium est, & communis etiam volatus, vnumq; item opus omnibus, & quod maximum est, sub vno Rege seu operis præfecto opera capescunt, nec prius ad prata conuolant, quam initium prius à Rege factum esse vident.

Cum vero superioris sit finem præstituere, & ad hunc producentia eligere, multum mihi aberrasse videntur ij, qui mũdum fortuna vel casu ferri posuerũt, qua in re modestissime vereque visus est Arist. primo Metha. sum: 2. c. 2. antiquos aliquos nomine sapientum celebres vocasse ebrios, cum sic scriptum reliquit, Anaxagoram prç illis sobrium putare, eo quod illi de quibus disputarent non intellexerunt: casu .n. & fortuna id accidere dicitur, quod raro contingit, aut cuius causa non in illo cui accidit, sed extrinsecus aduenit, vt si fodiens agrum, thesaurum inueniat, aut forum pertransiens, tegula ex tecto decidens damnũ inferat; illa vero ex certo naturæ instinctu iustoque supremi ducis moderamine fiunt, quç si temere fierent, neque plerumq;, neque semper euenirent, ac proin-

de

de merito fortunæ casuique adscribentur.

Quod si quid improuisum atque insolitum accidit, rarissimè id exoritur, & suas etiam causas habet, quæ nobis infima hæc inspectantibus, & aperta ignotę sunt, sed tamen acutioribus intelligentijs perspectæ, quod D. Thom. 1. p. q. 22. ar. 2. ad secundum acutissimè concludit inquiens, ad diuinam prouidentiam pertinet, vt permittat aliquos defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum vniuersi perfectum.

Ex quo manifeste cõcluditur quod quemadmodũ animantibus alijs, ordinis perturbatio exitiosa est, alijs vero illius conseruatio vtilis, ita omnium maximè hominibus pernitiosa sine ordine societas: salutaris autem & proficua principatus alicuius & imperij ordinatio: præsertim quod hominibus non de vulgaribus sed de grauissimis rebus periculum immineat, si Principe suo, & rectore destituantur; quia non solum à recta ratione deficiunt, sed etiam nemine cohibente, à veræ disciplinæ norma turpiter exorbitare consueuerunt, finemque perfectissimum idest æternam fœlicitatem amittunt: finis enim omnium rerum publicarum & gubernationum est conseruatio humanę societatis, eius autem societatis est habere vitam, in qua homo possit sine errore, & quiete Deo seruire, omnia enim propter hominem creata sunt, & ad vsum eius, homo vero ipse propter Deum: ergo connatæ sunt res ipsæ cum brutis, sed rationem nobis præcipuam dedit Deus eiusq; nos sotios esse cum immortalibus voluit; alia est nanque natura essentiæ simplicis, alia plãtæ, alia bruti, alia hominis, alia Angeli, alia Dei: sed quæ bruta faciunt naturali incitatione, ea si homines ratione faciunt, nãli iure facere dicuntur. Nec hoc modo recte viuere diceretur homo, sed sic, si ex hac natu

rali ratione informatus, bene rectèque ad fœlicitatem perueniat æternam.

Bene absq; vitijs viuere hominis quidem opus proprium est, sed propter aliud; nempe ob fœlicitatem consequendam; sicut oculi, pedis, manus, & denique vniuscuiusq; membri opus quoddam & munus est, sed vltra actionem totius vnum aliud opus finale est, sic etiam hominis quoddam debet esse munus proprium, propriaque functio, qualis non est viuere, nutrire, augere, quia hoc illi commune cum plantis. Neque id esse potest sentire, & voluptatibus corporalibus vti, quia id cõmune habet cum brutis; Quare aliud opus ei necessarium est, quod ex propria sua natura reliquis animantibus commune non sit nempe ex ratione viuere, & quod rõne obtẽperet, hoc verò est fœlicitas ęterna, ad quam homo creatus est, quemadmodũ Theologi nostri docent. Vnde Magister Sentent. in secunda dist. 1. a. fin. factum esse hominem docet rationalẽ creaturam ad laudandum Deum, ad seruiendũ ei, & ad fruendum eo. in quibus ipsa creatura proficit, non Deus qui perfectus, & summa bonitate plenus, nec augeri, nec minui potest, ac proinde quemadmodum factus est homo propter Deum vt ei inseruiat, ita mũdus factus est propter hominem. s. vt ei seruiat, sicut D. Paulus 1. Corinth. 3. omnia nostra sunt ait scilicet superiora, & æqualia & inferiora, superiora quidem ad perfruendum, vt Deus, & Sanctissima Trinitas, æqualia ad conuiuendum scilicet Angeli qui etsi nobis modo superiores sunt, in futuro tamen erunt æquales, qui & modo nostri sunt, quia ad vsum nobis, & inferiora ad commodum & vtilitatem nostram, vt Dominum nostrum in eis exerceamus. Huius rei finis tot tantisque, & tam varijs indiget adminiculis, vt nec solius naturæ inclinatio sufficiat,

nec

nec ipsa quidem ratio post lapsum primorum parentum, nisi bene pieque dirigatur, Quare Diuus Paulus commendat precibus Ecclesiasticis magistratus & Principes, vt sub ipsorum Imperio viuere possimus piè & tranquille, non ob solam voluptatem, quam ipsa hominum bene ordinata societas ac consuetudo inuicem adferre solet, verum etiam quod mutuis hominum auxilijs indigeat, quod aptissimè Basilius in Reg. fusius disp. interrogat. 3. adnotauit, dum ait: naturæ humanæ nil esse tam peculiare, quam mutuam inter eos communicationem, mutuamque alijs aliorum operæ indigentiam, quod Gregorius Nazianzenus orat. prima sic confirmat: nec alijs solutam inquiens & effrenem licentiam, & confusionem ordine, ac Principatu conducibiliorem esse censeo, nec ipsis hominibus, imo etiam tanto minus conducit quod grauioribus in rebus periclitentur, quibus magnum illud atquè amplum est, si minus id quod rationis primum est, seruent, hoc est, vt nihil peccent: at certe id quod eo posterius est, cum peccant emendari, atq; in viam reduci. proinde esse maximè necessariam vitæ disciplinam actionumque nostrarum directricem, ex eo vel maxime demonstratur, quod hanc potissimum ob causam datus sit sermo hominibus, vt alij alios edoceant, & moribus imbuant, atque quid iusti, quid æqui quidue iniqui, quid boni aut mali rationem habeat, aprime superiorum sapientum monitis & præceptis rerum ignari consequantur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Vt humana societas capite seu superiore indiget: ita eadem sine legibus diu salua consistere nequit.

CVM ad hominum salutem & decorem ipsiusq; dignitatem conseruandam necessariam fuisse societatem liquido appareat, eādem præstanti alicuius authoritate & potestate indigere, qua communi vtilitati prospiceretur, efficaciter prisci sapientes colligere videbantur: quî enim fiet vt rudis, & imperita hominum multitudo, qualisq; in omnibus pene rebus publ. reperitur, statum suum tueri possit, si ab omni lege & directione deseratur? vbi enim non est gubernatio, ibi populus corruet, vt Salomon ait prouerb. ij. Nemo autem ita ignorans est, quia non proprijs oculis intueatur, quam Deus Opt. Max. miro artificio hanc mundi machinam perfecerit, atque omnibus rebus non idem genus, non eandem vim & potestatem ingesserit, sed differentes inter se esse voluerit, vt hac rerum varietate & discrimine, eius sapientia fieret & illustrior, totiusq; vniuersi ordo perfectior.

Sanè sic terrestria omnia, atque ipsum cœlum cæteraq; vniuersa ita disponere voluit, & moderari, vt hominum mentes eadem intuerentur, atq; in admirationē inducerentur, animaduertentes quod ideo superiora instituerit, vt inde inferiora penderent, ac minora maioribus, & imbecillia robustioribus sic suppoſuerit, vt hęc sese in proprium eorumdem commodum, & emolumentum exercerent, sicque adinuicem colligata perpetuò durarent, firmataque permanerent.

Quod

Quod si talis connexio & subordinatio in rebus imperfectioribus statuta reperitur, quid mirum si in hominum animis, qui cunctis animalibus, rebusquè creatis longè superant, idem, multoque excellentius obseruetur, vt sic saltem communis illa hominum societas, Iure suæ communitatis aliquam habeat potestatem, qua regatur, & statum suum recte tueri possit, siquidem (vt dicebat ad Athenienses Demosthenes contra Aristocratem) vniuersa vita mortalium siue magnam vrbem incolat, siue paruam, natura & legibus regitur: at natura confusa est, & inæqualis & à naturali cuiusq; pendet ingenio, leges autem communes & ordinatæ sunt & eædem vniuersis.

Hinc est quod illud rationis nostræ Iudicium naturale, quod ab æterna illa lege nobis communicatum est, multo perfectiori modo & excellentiori gradu in homine existat, quo non solum naturaliter quæ facienda sibiq; fugienda sint, cognoscit, sed etiam ad instar regulæ nobis modum ad finem consequendum præscribit, quod minus beatorum illa communis æstimatio assequitur, cum finis rationem omninò ignorent; adeo quidem, quod tametsi nulla tunc temporis apnd Romanos lex scripta fuerit, qua regnante Tarquinio cautum fuerit, ne vlli stuprum inferret, erat tamen ratio ab ipsa natura profecta, ita ad recte faciendum impellens, vt antequam lex scriberetur, eadem vim modũq; legis obtineret: quippe ꝙ lex nõ incepit esse, dum scripta fuit, sed tunc cum esse incœpit: incœpit autem simul cum ipsa mente diuina; quod Ethnicus ille Romanus Orator sapientissimè assecutus fuit, dum ait Cicero in orat. pro Milone, est enim hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex nttura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam nõ docti, sed fa[illegible], non instituti,

sed

sed imbuti sumus: sic clarius illud ipsum declarat Diuus Thom. 1.2.q 91.a.1.

Est ergo vera lex recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, & sempiterna, quæ vocat ad offitium iubendo, vetando à fraue deterret.

Ex qua ingenita lege, leges deīde scriptas, quibus hominū vita colitur, & ab immanitate ad humanitatis offitia traducitur, originem traxisse. diuinus ille Plato lib. 1. de leg. nobis aperuit, atque naturæ legem particulam æternę legis esse, æternamq; re ipsa, quod diuina prouidentia, veteres Theologi definierunt.

Omnes porrò leges humanas ab ipsa lege ęterna naturalique descendere probat D. Tho. vbi supra, a. 3. & Cicero lib. 2. de Iuuent. quod initium iuris est à natura profectum, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitate rationis venerunt, postea res à natura profectas, & à consuetudine probatas legum metus, & religio sanxit; ad idem facit quod scribit S. Augustinus libro de vera Relig. c. 31. conditor legum temporaliū, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubendum vetandumque discernat, & alibi ęternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare non fas est: & lib. 1. de Arbit. cap. 5. 6. quod in lege temporali nil est iustum, ac legitimum, quod nō ex lege æterna, homines sibi deriuauerint: quamobrē recte sapientes legem descripserunt, qui eam iuris, & in iuriæ regulam mētis & rationis desīgnationem, prudentem, & aptam ciuitatis temperationem, qua flagitio & īpuritati resistitur, omnesq; reipubl. partes in suis quæq; officijs continentur, esse dixerunt. Neque minus appositè Pindarus inquit, legem esse omniū mortalium, & immortalium Regem vt testatur Plato, in

Demetr.

Demetr. & Demoſthenes, animam leges eſſe dixit. quod quemadmodum humanum corpus, dum animam continet, vitam ducit, eam vero mox atque efflarit, mortuum cadat neceſſe eſt: non ſecus etiã quæuis opulentiſſima ciuitas, nullis informata legibus corruet, & funditus euertetur, qua de re Cic. 2. de legib. ciuitatis vinculum mentem & animam eſſe docuit, quoniam vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus ac neruis ſanguinem & membris vti non poteſt, vnde nullum imperium, nullamq; Remp. ſine legibus diuturnam ſapientes dixerunt. Arma quidem imperia parant, leges verò parta conſeruant, & ſicut ſine armis magna acquiri nõ poſſunt, ita nequeunt ſine legibus conſeruari. Leges dixit Leo Imperator in nouella xix. ſunt velut oculus in Repubi. quemadmodum enim oculus res maxime neceſſaria animali eſt non titubans, ita etiam Reip. legum æquus & rectus ſtatus; per legem enim fit cognitio peccati Rom. 2. lex enim, vt explicat Clemens Alexand. in 2. ſtromat. peccatum non fecit, ſed oſtendit, cum quæ facienda ſunt, iubet, & quæ non facienda ſunt, vetat; Proindè neceſſe eſt, vt tales leges ferantur, quæ populum errare non permittant, & lapsũ erigant, non enim pœnam meretur, quod lege permittente fit, ait I. C. l. Grachus. C. ad l. Iul. de Adult. Plurimum etiam refert ſcire legislatorem in conſtituendis legibus, vt iuxta cuiuſque Reip. & populi cõditiones leges definiat, vt eæ ad Remp. accommodatæ ſint; non autem Reſpub. ad leges.

Sunt autem conditiones bonæ legis, prima, vt ſecũdum patriæ conſuetudinem, locis temporibusq; ſint conuenientes, c. erit autem lex. 4. diſt. perpera enim lex eſt, quæ à nullo poteſt obſeruari. Secundo, ineſſe debet ſeueritas legibus, & pœna contra trãſgreſſores,

eaq; exasperandaper leges, vbi delicta frequentiora sunt, l aut facta §. pen: & fin: ff. de pœn. l. saccularij, de extra ordin: crimin: atque ita legislator ex opinione Socratis, ad duo debet respicere in lege facienda, ad regionem.s.& ad homines,& ad loca vicina, Arist. 2. polit. c. 4.

Sicut autem leges, quando feruntur diligenter considerari debent; sic quando receptæ sunt, & promulgatę, diligenter custodiendæ sunt, maximè à subditis & iudicibus, & ab ipsis etiam legum latoribus, quantum fieri potest inuiolatæ custodiri debent, cum enim lex sit norma seu regula vitæ humanæ, fieri non potest, quin ea mutata, etiam hominum mores mutentur; quod si aliquis defectus sit in lege, ex æquo, & bono, à magistratibus & Iudicibus erit emendandus. Omnes enim leges cum sint in æquitate, & moderatione, totæ etiam sunt ad bene beateq; vitam agendã inuentæ: nec pro vnius vel alterius arbitrio relaxandæ, cum non pro vno statutæ sint: instituuntur enim leges, cum promulgantur, firmantur, cum moribus vtentium approbantur. c. in istis. §. j. 4. dist. & moribus consonæ sunt leges, quando tales, qui emendari desiderant, eis acquiescunt, alioqui leges frustra erũt, nec iucunda vlla hominum societas erit sine legibus, quod per discursum patebit.

Vtilissimum est merces transportare, & cum exteris necessitudinem & familiaritatem arctissimam contrahere, maria nauigare, sed id totum leges præstant, quæ pyratas acerbissimis supplicijs vndiq; prosequuntur. Optimum est,& necessarium,cõmeatus, profectiones, itineraq; conficere, sed id leges efficiunt,quę latrones arcent, & grassatores & insidiarum pericula longè latèque propellunt. Iucundissimum est liberè in Ciuitate versari, sed hoc faciunt leges, quæ efficiũt

summam

ſummam libertatem : neque enim ſublata libertate leges, neque ſublatis legibus, poteſt eſſe vera libertas. nemini vim facere, nemini iniuriam, nemini inſultari patiuntur. ſunt enim leges muri & fundamenta ciuitatum, in quibus bonos quam diutiſſimè detinent, malos arcent, & ijs appropinquare non ſinunt. In his ſalus bonorum, in his conſilia ciuitatis, in his pacis præſidia continentur. Quod ſtamus, quod incedimus, quod dormimus, ac denique quod ſecuri vitam agimus, id totum eſt legum defenſione attribuēdum, quæ niſi ſceleratorum hominum libidines & auaritiam cohiberent, non mulieres pudicas, non agros, non domos, non vitam tutam haberemus: Virgines è parentum amplexibus abriperentur: furum, latronum, ſiccariorum, parricidarum plena eſſent omnia: bonis viris aut nullus eſſet locus, aut turpiſſimis ſemper afficerentur iniurijs; leges enim ſunt, quæ nos à tantis periculis, tantaque atrocitate, ignominiaq; tuentur, & ſummo nos in otio, atque ſumma tranquillitate cuſtodiunt, fortunas vnicuique ſuas conſeruant, vitam denique, corpus & animam in pace contuentur.

CAPVT TERTIVM.

Ciuitates, & leges ſine magiſtratibus eſſe non poſſe.

ETSI vero tanta ſit legum virtus, vt omnia per ipſas ponderibus examinentur, rationeque metiantur; obliqua ad rectam formam reducātur, & inæqualia ad æqualitatem reuocentur, tamen adeo eſt hominum genus ad pernitioſæ libertatis inſolentiam procax, tamque promptum, vt niſi magiſtratus alicuius

ſeueritate metuque pœnarum abſterreatur, nullius leges ponderis fiant, atque fas ſimulq; nefas miſceantur, ſicque ex licentia deteſtabili, in exitialem licentiam, indeque in extremam pernitiem & corporis & animę interitum, humana reſoluetur vita. quapropter prouide factum eſt, quando natura ſingulis de neceſſarijs vſibus prouidit, quod multo diligentius eadem humano generi, vtpote ad ſimilitudinem Dei effecto, proſpicere voluit, ne ex legum ſanctione, atque promulgatione in peius rueret, occaſionemque mali acciperet, ſed vt indè conſtarent vniuerſæ componerenturq; ſocietates; Magiſtratum ad hominum ſalutem deſignauit, qui vigilanti cura legibus prœeſſet, ne obſoleſcant, neue fraude & violentia malorum morum confringantur. certũ enim eſt, quod nec vlla domus, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec mundus ipſe, ſine legib., magiſtratuſue authoritate conſtare poſſit. Quod ſapiẽtes, ſi eorum monumenta rimati fuerimus, facile nobis perſuadebunt, quorum primus ſe offert Solon vir ille vnus ex ſeptem ſapientibus, iuxta Plutarc. in Solon. qui ciuitati leges ita neceſſarias eſſe putauit, vt ſine magiſtratus authoritate nulla ex ipſis vtilitas percipi poſſit.

Sic Plato optimo iure legibus magiſtratũ præfert, quod leges, niſi magiſtratus adſit, prorſus inutiles Rei pub. videantur eſſe, cuius rei rationem adfert Cicero 3. de leg. dum legis & magiſtratus naturam, breui, & dilucida definitione explicat, ita vtriusq; conditionem in quouis illorum accommodat, vt nec legem ſine magiſtratu, neque hunc ſine illa rectè Reipub. conſulere aperte ſignificauerit. ſic enim dicit, legem eſſe mutum magiſtratum, magiſtratum vero eſſe legem loquentem.

Melius

Melius meo iuditio faciet S. Ioannes Chrisostomus in enarrat. 3. cap. Esaiæ, dum sic prosequitur: Iudices & magistratus non minus sunt vsui moderandis ciuitatibus, atque ijsdem tuendis, quam sint bellatores, dum enim pacem æquis legibus attemperant, sæpe numero, & in tempore non defuerunt propulsandæ eruptioni hostium. Hostes enim cum continuè suboriantur à radice peccatorum, non difficile est legum custodes, ac eos qui præsident iuridicundo, omni cũ diligentia plura tollere, ac supprimere peccata, quæ occasionem præbent excitandis bellis. Quare igitur eos Deus à terra reuellit? quod si superstites minus decore suo functi sunt officio? & idem in psal. 148. tom. j. magistratus Dei minister, tibi est in bonum, si hunc autem sustuleris, vniuersum interit. Si enim cum nunc sunt Principes & magistratus, multiq; sunt in eis corrupti, & deprauati, tantus tamen est vsus rei, vt etiam cum mali sint, magna captatur ex eis vtilitas: cogita apud te si ij quibus commissi sunt magistratus, recte gererent, quam benè cum humano genere ageretur. Sed magistratus fuit quidem constituere Dei opus, quod autem impij ad eos prouehantur, & eis nõ vt decet vtantur, est improbitatis hominum, hucusq; Chrisostomus:

Vnde medicinæ similis perhibetur lex, ipsi vero Medico bonus magistratus, quod sicut lex generales circumstantias habet, quemadmodum ipsa medicina, sed magistratus, vt optimus medicus, attento temperamento ægroti, conuenientia adhibet medicamenta, ac proinde necessario opus est magistratu etiam in optima Rep., vbi claræ, & apertæ bonæq; sunt leges, vt in Aristot. 3. Polit. c. xij. & Iulianus, & alij Iuristæ l. neq; leges cum 4. seqq. ff. de legib. eò quòd multa cadant sæpe in consultationem, quæ neq; legibus com-

comprahendi possunt. Quod si defuerit magistratus qui non pro temporum opportunitate, quæ expedire videbuntur, diligenter cum æquitate legem ipsam tempori atq; loco accommodet, multa exoriantur mala, seditiones, & perturbationes in Rep. necesse est: adeo enim a se inuicem homines moribus disiuncti sunt, tantaq; est rerum humanarum vicissitudo, tamque rerum omnium instabilis conditio, vt plane supra humanæ prudentiæ vires sit, vnam semel legem præscribere, quæ vbique, & in omni tempore hominum saluti conducat, ex quo enim lex vniuersitati consulit, singulis ita prospicere non potest, neque quid temporis ratio, aut regionis conditio exquirat, longe ante præuidere, vnde totum hoc ad magistratum spectat, qui varios hominum euentus, rerumq; vicissitudines, temporum locorumque mutationes, prout cuiq; Rei pub. quam maximè consultum esse iudicarit, perpendere, & iudicare debet, & quid vel toti communitati, vel singulis partibus illius magis consentaneum sit, statuere, & sic Iurisprudentibus semper visum est l. neque leges ff. de leg. cum dicant nullo modo fieri posse, quod leges humanæ, quæ circa singulares hominum actus versantur, omnibus mortalibus semper existant, accommodatæ, semperq; salutares, in tanta morum diuersitate, & nationum, & linguarum varietate, euentuumq; dissimilitudine; variant quippe loca, functionesq; rerum mutantur l. pretia rerum ad l. falcid. l. fin. §. fin. C. de administ. tutor: ob penuriam, vel fertilitatem, indeque fit, quod Arist. vij. polit. in Principe æquitatem quandam exigat, qua ipse ductus à lege discedat, si saluti Reip. aduersari videatur, licet enim in se iustitia immutabilis sit, nullaue lege aut magistratu immutari aut inflecti possit, tamen vt ait S. Augustini lib. 3. confess. c. 7. ratione temporis, in qua versa-

tur iuſtitia, & quibus illa preſidet, quoniam pari paſſu non ambulant, mutatio fieri accidit, tēpore enim sūt, in quibus, quæ quibuſdam hominibus ſaluraria ſunt, alijs viciſſim exitioſa euadunt, & quæ ſunt quibuſdā temporibus vtilia, alijs ſunt pernitioſa. Quamobrem omnino neceſſarium fuit, vt legum Iuditium & directio à magiſtratibus pendeat, ſtabiles enim leges figere, ſolius Dei ſummi & ſemper æterni opus eſt, qui cū mortalium actiones & rerum mutationes, & vitæ humanę neceſſitates multo ante præuidit, omnibus his ſapientiſſime prouidere potuit.

Hanc magiſtratuum neceſſitatem ſacrarum literarum teſtimonia adſtruunt; Nam ideo Gethrus Exod. c. 18. Moyſi conſuluit, vt grauiſſimas tantum cauſas ad ſe deferri iuberet, reliqua vero, & minora ſingulorum negotia alijs inferioribus magiſtratibus, quos pro eiſdem eligere, & conſtituere debuit, demandaret, non tamen quos vis ad id negotium indifferenter permittat, ſed qui ſcirent, poſſent, & vellent munus ſibi iniūctum æque exercere, eos ad publica, vel etiam priuatorum negotia pertractanda aſſumendos eſſe docuit:

„ prouide (inquit) de omni plebe viros potentes & ti-
„ mentes Deum, in quibus ſit veritas; & qui oderunt
„ auaritiam. Quo loco ſeptuaginta (quos ſequitur Auguſtinus ſuper Exod. qq. q. 69.) vertunt, qui oderunt ſuperbiam, quod non minus ſuperbia ſit fœtidum vitium (maximè rerum publ. moderatoribus vitandū)
„ & conſtitue ex eis tribunos & centuriones, & quinqua-
„ genarios, & Decanos, qui iudicent populum omni
„ tempore.

Ex hoc veteres legum latores cum intelligerent, quod Principum ditiones in dies ſingulos, magis magisque dilatarentur, præter ſupremum magiſtratum, cui omnium cura ſalusq; commiſſa erat, alios etiam

infe-

inferiores, qui vel prouincias vel ciuitates, & oppida gubernarent, prudenter constituendos iudicarunt: & illo quidem tempore, priscis hoc Romanis, optimis rerum pub. æstimatoribus, dum adhuc Idola colerẽt, solo lumine naturali inditum fuisse, ab eisque sanctè obseruatum reperies: primum enim cum humanæ societates & Respub. perexiguæ essent, vni Societati, & Reipub. commode præerat princeps vnus: vnde multi Reguli, multi Dynastæ leguntur, & hoc quidẽ facili labore accidere potuit, non enim tunc temporis de inuadendis vicinis aut de dilatandis Imperij finibus Principes incumbebant; sed sua quisque sorte cõtentus viuere volebat: posteaquam verò negotia innouari cœperunt, & fines imperiaque dilatari, atque ab impuris hominibus innocentes falsis criminibus diuexari, passimque iniurijs affici, soliciti equidem, & per oportunè, magistratuum iudicumq; diuersam potestatem in rempub. inuexerunt, ad hoc vt suum vnusquisq; teneret: neque tenuiores propter humilitatem à potentioribus opprimerentur: Iuris enim Ciuilis ait Pomponius de iust. & iure, in pandectis, societas, in quam plurimis causis publica indiget solicitudine, cumque vnus aut vel pauci omnibus haud commodè sufficere poterant, operæpretium fuit, ex potestate illa suprema, partem aliquam in personas quasdã, quæ eius authoritate possent celeriter & oportunè singulorum rationibus, cum vtilitate consulere, solicitudinis suęq; curæ & cogitationis deriuari: haud aliter, atq; in Ecclesiastica Hierarchia, quando Dominus noster Iesus Christus multitudinem, pastorum Ecclesiasticorum curæ commisit, non tamen illos pastores in illius summæ præfecturæ gradu constituit, sed eos tanquam optimates in partem laboris vocauit, à quorũ singuli singulas Ecclesiasticæ Reip. partes, tam per se,

quam

quam per Diaconos & Presbyteres gubernari voluit, vnum autem, qui manifestam Christi presentiam supleret, omnibus alijs præfecit à cuius nutu & authoritate reliqui omnes dependerent; sic in Rep. politica diuersos gradus magistratuum esse voluit, vnum vero Principem & Monarcham, qui reliquis omnibus præcipiat, ad Christianæ Religionis elegantiam, & Reipub. venustatem constituit, de quo principe eiusq; ministerio breui nobis agendum erit, quando quæ ad electionem magistratuum, eorumq; curam pertinent, discussserimus.

CAPVT QVARTVM.

Qualis magistratus esse debeat, & quæ sit illorum vocatio.

CVM adeo sit necessariùs magistratus in omni humana societate, vt neque leges sine illo, neque ipsa rerum natura salua inconcussaq; permanere possit, sicut enim in naui nauclero opus est, in bello Duce, in corpore humano anima rationali: sic in Rep. bono magistratu: profecto magna cura diligentiaq; incumbit illis, qui summam potestatem in subditos exercent, vt illis tales magistratus præficiant, quales ipsimet esse tenentur, alioqui omnis populi culpa in eos, qui tales constituunt, redundabit, qualisq; Princeps talis magistratus, & qualis Dominus tales plerũque serui esse solent. Quod olim præstitit præpostere Antonius ille Romanus, qui Heliogabali nomen stultè accepit, & Scenicos, theatritos, aliosq; artifices ad maximas præfecturas imperij promouit, indignabundusq;, contra Aelium suum Alexandrum,

quod alio modo à se instituto viueret, vnde literatos omnes doctosq; viros ex aula abegit, aliquos morte affecit, alios vero exilio, eoquod existimaret, bonis legibus prudentique virorum consilio filium suum corruptum iri. Quo nihil vel stultius, vel absurdius filio suo atque toti ipsius imperio affingi potuit. Quis enim princeps dignum putaret honore suo, si quispiã culinæ suæ sutorem præficiat? aut carbonario vestem suam albam tractandam committeret? aut si filium suum ægrotantem, fabro imperito medicinæ curandum traderet? magis ergò ęgrè ferendum erit, si Princeps rempub. hominesq; sibi à Deo commissos, imperitis peruersisque magistratibus curandam regendamq; permittat, cum ipse solus eam curandam suscepit, Deoq; ipse rationem redditurus sit, de villicatione & gubernatione, cum iuditio ineuitabili.

Punientur seueriſſimè, qui Rempub. malè rexerunt, vel incapaces & indigni regnum aliquod administrandum susceperunt, sed duplici pœna & seuerius Principes condemnabuntur, & quod isti male gesserunt, & quod ipsi male concesserunt potestatẽ, quemadmodum ipsa experientia docuit: ipso namq; Anthonio, de quo paulo ante, occiso, atq; totius imperij statu à filio immutato, plurimum cœpit sibi congratulari populus, de sublato fædissimo Imperatore, & gaudere de reuocatione status regni reipublicæq; moderatoribus, vt scribit Herodianus lib. 5.

Vt vero rem altius repetamus, sciendum est, in primis, iuxta diuersitatem rerumpublicarum, seu societatum magistratus fieri debere, sicut enim non cuiuis pedi quilibet calceus aptus est, sic nec cuiq; ciuitati talis vel talis magistratus: statu ergo populi, morũq; & regiouis conditionibus attentis, facile suprema potestas, penes quem est magistratus dare, conijcere poterit,

terit, quibus qualibusque magiſtratibus opus habeat; vnde ex diuerſitate magiſtratuum, diuerſa eatumdē functionum nomina orta ſnnt. Sic nomen magiſtratus apud Romanos, erat eorum, qui curam, & iuriſdictionem habebant & poteſtatem in ſibi commiſſos, vel maiorem vel minorem, alij alijs nominibus dicti ſunt, pro nationum more, vt Præpoſiti, Tribuni, Centuriones, Decani, Dij, Iudices, Archondes, Decuriones, in populi gubernatione Principes, Athenis ſaluatores auxiliarijq; & cuſtodes, de quo infra. Vnde etiā factum eſt, quod variè apud varios formę creandorū magiſtratuum legantur, iuxta qualitates, ętates & tē pora, de quibus ex legibus cuiuſq; Reipub. videre eſt, prout iam conſtitutę ſunt, vel etiam poſtea mutari contigit reſpublicas.

Per ſortem alicubi creati ſunt, quod populare videtur Ariſt., dum omnes pares volunt eſſe, & ideo nolunt alterius paris iuditio ſubijci: ſic apud Romanos ſortiti ſunt Iudices, ex equitum ordine, & ſorte à prætore ducti dati, ſi qui vero ſuſpecti ex illis litigātibus habebantur, alij in locū eorum ſubſortiti ſunt. Apud Athenienſes etiam ſortem miſerunt, qui ſenatores aut magiſtratus fieri cupiebant: poſtmodum cuique eorum cui ſors obuenerat ſortiebatur alius, vt ſi prior ille vel mortuus, vel improbatus eſſet, eius ipſe loco, vel in ſenatu legeretur, vel in magiſtratu poneretur, vt ait Suidas.

Apud Venetos magiſtratus ex paribus ſorte eligi hodie, teſtatur nobiliſſimus pariter & Doctiſſimus Cōtarenus, lib. primo de Rep. Venetorum ad finem, vbi modum, & proceſſum mirabili artificio deſcribit: Apud alios per ſuffragia eligebantur, alibi per electionem.

Qui omnes modi aliud nihil indicant, quam ſingu-

larem in eligendis magistratibus curam supremis po testatibus esse adhibendam, nedum cuiuis (vt hominum genus à natura cupidum est) aditus ad honores, supremaq; officia pateat, alius vel vi, vel tyranni de, aut fraude doloue, ad alta muneris fastigia prouehatur, sicq; rerum publicarum interitus præparetur. Quare quibus sortium vsus fuit, maximè elaborandũ erat, vt cum libera iudicia esse debeant, eorum suffragia occultissima essent: qui vero ex delectu proceserunt, cum ex pluribus electio fiat, ne digniori indignus præferatur: qui vero suffragati sunt, eorum ne multitudinis ore vota superentur, sed meliorum, & probatissimortm approbarentur, curandum fuit: neque iusti rerum iudices mihi videntur illi, qui remp. vel ex solis diuitibus, vel solis seruis, & egenis consistere existimauerunt; primum nanque sequeretur, vt qui omnium ditissimus foret, eodem iure alios omnes gubernare deberet. Sic qui præstaret nobilitate, eorum gubernator esset, qui cum sint ingenui ad inuicem de honore contenderent, quod repræhensione dignum putat Plato vt in Arist. 2. polit. c. 9. in Athenienſibus, eo quod ex ditissimis voluerint creandos esse magistratus, quasi impossibile esset egenum bene magistratum gerere, sic enim iter ad virtutes precluditur, liberaque ad artes ingenuas capessendas volũtas, quando diuitiæ prætiosiores fiunt virtutibus.

Hi vero qui in nimia indigentia constituti sunt, cũ plerumq; deiectum animum habeant, vilesque existant, non tam ad magistratum gerendum, quam ad seruiliter parendum nati videntur, proinde non ingenuorum aut liberorum, sed seruorum & dominorum efficietur societas, quorum alijs inuident alij, alios vero alij spernunt, quod procul abesse debet à bene constituta Republica.

Nec

Nec omnino tales qui egestate laborant excludendas esse reor, modo ita tenuium non sint facultatum, vt publicis honoribus pares sint, & de suo sibi victum acquirere possint, sintq; alioqui idonei: magis tamẽ illis abundantes præferri vtile est & commodum.

Quo fit, vt præclarissimi philosophi, qui de reipub. institutione accuratè scripserunt, temperandam esse rempub. censeant ex optimatum, & populari statu, eo adhibito temperamento, vt in omnibus incommoda vniuscuiusq; gubernationis euitentur, commoda vero comparentur, quod omne singulare offitiũ principis est; atque supremę potestatis argumentum, vt cuius authoritate magistratus creantur, eiusdem etiã imperio & iurisdictione aliorum bona vel iubendo, vel iudicando promoueantur. Quod enim magistratus in alios exercet ministerium, hoc non sua facit potestate, sed ex consensu, vel expresso, vel tacito ipsius Principis, qui vel iubet vel probat expresse, vel tacite, ideo & sæpe, quando maxime reipub. expedire putat, ius illis adimit, vel emendat abusum, ad quod faciẽdum omnes principes & superiores fortiter hortatur, S. Cirillus libr. de recta in Christum fide, vos enim estis (loquitur autem ad pientissimum Imperatorem Theodosium) omnium supremarum dignitatum fontes, & supra omnem eminentiam humanæque fœlicitatis, principium & origo: ita ergo ad principis potestatem pertinet magistratuum creatio, non ad populi fauorem, vti respondet Modestinus Iurisco̅sultus l. prima ad l. Iul. de ambitu. ff.

Vti vero delectus seruandus est in legendis magistratibus, sic summopere studendum, ne indiscriminatim omnibus id peruium sit, aut quibuscunque: Solon enim dum præcepta daret ad institutionẽ Reipub. Athenienſium, ex nobilium, & locupletuum

numero

numero magistratum suasit, neque tunc opificibus sordidisquè artibus ius erat vllum assequendi magistratum, Arist. 2. pol. c. 9. quemadmodum & legibus approbatum est ab Imperatoribus l. nequis C. lib. 12. de dignitatibus, l. si cohortalibus, ibid. l. 1. de præpos. argentuum in reb. C. ne quis ex vltimis mercatoribus, vel monetarijs abiectisq; officijs, omniq; officiorum fece, aliqua fruetetur dignitate: Sic Sacrosanctis prohibitum legimus & sanctionibus Principum, & Imperatorum comprobatum l. fin. C. de iud. l. 5. & l. iubemus C. de Episcopali audientia l. fi. C. de postula. l. probatorias. C. de diuers. off. lib. ij. & l. 15. C. de Epist. aud. ne Iudæus ad munera publica, vel honores admittatur, ne. s. sub prætextu officiorum in Christianos grassarentur. Simili modo iure cautũ est, ne ad honores ciuiles, ne dum magistratus dignitatem prouehantur, qui catholici non sunt.

Hinc Octauius Cæsar, magistratus, partim ipse designabat, partim alios populo plebique creandos permittebat.

Quod si status hominum ad magistratus dignitatem subeundorum attendi debet, prout iam liquet, multo magis eisdem legibus inhærendo fatendũ erit, ad hoc certam quoq; ætatem annorumque numerũ requiri, tanquam honoribus & muneribus idoneũ, de quo Cicero meminit Philipp. 5. sicque canendo fatetur poeta ille Ouid. in fastis.

Iura dabant populo senior finitaq; certis
Legibus est ætas, vnde petatur honos.

Ad quod facit l. ad rempub. ff. de muner. & honor. & c. indecorum de ætat. & qualit. facit. §. minores, de excusat. tutor. l. fin. C. de leg. tutel. l. nam quod ad ius, ad Senatus consult. Trebell. ad leg. Iul. ff. de adult. quæ dicit, ad Remp. administrandam ante xxv. annũ,

vel

vel ad munera quæ non patrimonij ſunt, vel honores admitti minores, non oportet, Ratio ibi adiungitur ne cum damno reipublicæ gerant : & idipſum vult lex minorum, qui enim ſeipſos tueri cauſaſq; ſuas agere nequeunt, multo minus alios regere poterunt, quod leges tanquam damnoſiſſimum reipublicę iudicarunt. Vnde tituli de tutoribus & curatoribus præſcripti ſunt; quamuis ita complacente Principe, hęc annorum computatio non ad amuſſim introſpicienda ſit, cum Vlpianus dicat, ſententiam à Prætore, vel conſule minore xx. annis valere, quia Princeps qui magiſtratum dedit, eo caſu diſpenſare videtur, vel omnia geſta ab eo decreuiſſe valere, quod ſingulare eſt, & in fauorem Principis.

Expedit in magiſtratu gerendo, nõ tam annorum numerum certaque ætas, & vitæ ſtatus, quam pietas, prudentia, magnanimitas, circumſpectio, & longa rerum experientia. l. quidam conſulebat. §. fin. ff. de re iudicat. l. ſi rogatus §. fin. de manumiſ vind. vnde ad prouincias regendas accedere debere dicunt leges, qui ad honoris inſignia, nõ ambitione vel pretio, ſed gratis, probatæ vitæ & amplitudinis præſidis prouinciæ eliguntur teſtimonio, qui grauitate morum excellant, habeantq; peritiam rerumpub. l. ſancimus C. ad l. Iulian. repetund. §. quapropter, nouella 8. & nouella 161. §. nos autem, l. 1. C. de offic. magiſt.

Quod Cæſarum & Imperatorum reſcriptum, ſi paſſim obſeruaretur, non eſſent tot ruinæ gentium, ſubuerſiones prouinciarum, & interitus religionis Chriſtianæ : ſæpe enim accidit, vt idonei, & qui totum vitæ tempus in perdiſcendis bonarum artium ſtudijs contriuerunt, non habeant, cui operam ſuam collocent, ex eo, quod imperiti, & neophiti, officia quælibet quæ poſtulant, non meritis virtutum, ſed

gratia

gratia & fauore, non vitæ morumque grauitate, sed cognatione & affinitate, non experientia rerum, sed adulatione consanguineorum venentur, cum tamen tales suspecti sint, qui sese officio alicui ingerunt, cuius si grauitatem & pondus, quod in eo latet, considerarent, non tam illud desiderarent, quam etiam sponte oblatum, quantum honestè possent, detrectarent, quod olim docuit Arist. 7. polit. c. 7. Volentem, & nolentem assumendum, si dignus sit, & potius fugientibus regiminis locum esse deferendum, quam desiderantibus.

Plato in Dialogo primo de iusto inquit, offitium quidem gubernandæ patriæ si iustum sit, voluntariũ esse debere, tamen quia boni viri, neque ambiunt honorem, & præmia, quæ proponuntur gerentibus, minimè ambitiosi, honores non sectantes, & tãquam non lucri cupidi, præmia non cupientes, additur multa, pro illis compellendis, vt & munus sit illis simul necessarium, & voluntarium pro vtilitate Reipub.

Sic in sacris literis plures, honores & oblata munera refugisse sanctos Dei viros legimus Exod. c. 4. 1. Reg. 10. & S. August. Ciuit. Dei lib. 9. vt Moysen, Saul. Hieremiam, ibi vero S. August. ait, Locus superior etsi administretur, vt decet, indecenter tamen appetitur, & l. si quenq. de Episc. & cler. de hoc prouisum fuit, tam sancte quidem, quam piè & religiosè, vbi Leo, & Anthemius Cęsares, nec pretio inquiunt, nec precibus ordinetur Antistes: tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola etiam suffragetur necessitas excusandi, est enim indignus sacerdotio, nisi ordinetur inuitus.

Oportet esse magnanimum magistratum, qui & pericula pro obeundo munere non refugiat, nisi enim

ait

ait ſapiens Eccleſ. c.7. virtute valeas diſrumpere iniquitates, noli quęrere fieri iudex, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.

Eſt inſuper neceſſaria oratio & ſapientia, qua populum regat, leges ſtabiliat, improbos caſtiget, tueatur bonos, laudet claros viros, hortetur ad decus & reuocet à flagitio, conſoletur afflictos: & vt vno complectar verbo multa, duo præcepta tradit Cicero accurate, & diligẽter ex Platone, de off. 1. eſſe obſeruanda, vnum vt ita totum reipub. corpus curent, vt dum vnam partem tuentur, reliquas minimè deſerant, alterum vero, vt ſic in ciuium vtilitatem incumbant, vt ſuorum commodorum penitus obliti, quidquid agant, ad illam condidis & ſinceris animis referant.

Ob id etiam cuſtodis nomen obtinuerunt, cuius proprium eſt omnia circumſpicere, & tanquam ex alia ſpecula à longe proſpicere futuros caſus: cuſtodem præterea veridicum, liberalem, temperatum, fortem, manſuetum atque prouidum eſſe oportet, ait Plato in 6. de repub. ſi vitam, inquit, inueneris eorũ qui magiſtratibus profuturi ſunt, ipſis magiſtratibus, meliorem tunc primum optime tibi inſtructa ciuitas elucebit: In ea ſiquidem ſola vere diuites dominabuntur non auri dico, ſed cuius oportet virum beatum diuitem eſſe, vitæ probę atque prudentis: ſin autem inopes bonisq; proprijs vatui ad publica aduentauerint, bona illinc rapere cupientes, ciuitas illa fœlix eſſe non poterit, nam vbi de principatu contendendum, cum proprium hoc ſit & inteſtinum bellũ, tum eos qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdit. Quod totum bonus Princeps ſumma dexteritate, & prudentia præcauere debet, & à ſibi commiſſo grege eliminare, de quo iam nobis ſermo eſt inchoandus.

CAPVT QVINTVM.

Vnus solum Princeps necessariò constituitur.

PROPOSITIS iam rebus & personis, quæ in repub. sunt considerandæ, reliquum est, vt de administratione eorũ inquiramus, formaq; administrationis. Talis autem forma commodari debet, qualis & ipsa constituitur, respublica, vnum quippe nomen est, sed modi administrandi secũdum diuersam constitutionem, diuersi sunt.

Seneca libro de beata vita cap. 3. duas ita respubl. animo in vniuersum complecti iubet, vnam magnã, & verè publicam, qua Dij inquit, atq; homines continentur, in qua non adhunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos ciuitatis nostræ cum cœlo metimur; alteram cui nos adscripsit conditio nascendi, & hanc aut Athenienſium puta dici, aut Carthaginenſium, aut alterius alicuius vrbis, quæ non ad omnes pertineat homines, sed ad certos. Nobis vero neq; de ista, neque de illa est agendum, sed vnum solum necessario constitui debere caput super rempub. Christianam, visibile, & monarchicum, cuius reliqua omnia membra, ab ipso tanquam à fonte, tam in faciẽdo, quam omittendo accipiant virtutem, & potentiã, dicimus; cuiusq; solum sit, rempub. vel aristocraticã vel democraticam, aut illam cum ista, vel istam cum illa, aut ex vtraque ad arbitrium constituere: quia vero in præcedentibus omnia quantumuis diuersa ad vnum finem dirigere instituimus, nunc etiam opus est, vt illud vnum, ad quod alia omnia tanquam ad

finem

finẽ colliment, publicè demonſtremus, ea enim quę in multitudinem maximam diffunduntur, ita potiſſimum conſeruantur, ſi vnum ex eorum numero caput, & principium reliquis partibus conſtituatur, nec ex alio credunt Philoſophi, vt Plin. lib. 2. hiſt. natur. c. 5. vniuerſam hanc mundi machinam conſiſtere, ſi naturæ uim & rerum ordinem ſpectemus, quam ex eo, quod licet elementa diuerſa planequè contraria ſint, ita tamen inter ſe connectantur, vt ex mutuo conſenſu diuerſitatis nexus quidam oriatur. Cum enim eorum altiſſimus ſit ignis, proximus huic eſt ſpiritus vitalis, vtique & in omnem loco diffuſus & toto conſertus, cuius vis ſuſpenſa cum quarto aquarum elemento libratur terra interiecta, & leuia quidem ponderibus retinentur, ne rapiantur, grauia vero, ne peſſundentur, ſuſpenduntur, leuibus in ſublime tendentibus: hinc æquali in diuerſa niſu vi quæquæ ſua cõſiſtunt conſtricta, mundi ipſius exercito motu, quo ſemper in ſe currente, ima, atque media terra in toto ſtat pendens quidem, & librans, per quæ pendeat, ita vt ipſa ſola immobilis permaneat, volubili rerum vniuerſitate circumdata, & cum ipſa ex omnibus nectatur, eidem omnia innitantur, adeo vt quemadmodum dum omnia naturali hac colligatione conſertè contexteque fiunt, optime conſeruantur, ſi vero hic nexus diſſoluatur, cuncta in interitum ruitura videas: ſic etiam quandiu reſpub. partibus inter ſe connexis, capitique adiunctis ſtat, ſalua conſiſtit, ſi autem à ſe inuicem diſſoluantur, proculdubio de illa actũ erit.

Nixus autem & conſtitutiuum aliud nihil eſt, quã Princeps vnus, qui ex æquo, & bono vniuerſa Reip. membra inter ſe cõciliat, præfectosq; & magiſtratus mirabili animorum conuenientia in vnum ſociat, cũ alioqui tot diuerſaq; capita diuerſis moribus & conſuetu-

ſuetudinibus differentia, in vnum coire non poſſint, niſi vitalem quandam & ſpiritualem vim & ſpiritum omnibus caput impertiat, & ſeparatum ab vniuerſis, ſingulis conſulat, & cūctorum rationibus ſimul proui deat. Alij vero magiſtratus, qui partium, & membro rum vicem & rationem ſubeunt, cuiuſcumq; tādem dignitatis exiſtant, cum capite copulentur, & omnes ad authoritatem maieſtatemque illius defendendam conſpirent, neceſſe eſt: ſolet enim qui ipſum caput relinquunt, reliquis membris non parcere. Vnde & populos, & vniuerſas Reſpub. atq; regna ampliſſima diſſidijs conflagrant.

An ne igitur aliquis iſthæc audiens, & attentè con ſiderans, adhuc negabit opus fore vno & vniuerſali directore? nullus ſane. Sed non vna omnium mens eſt, & explicatio de vno Principe conſtituendo, dum alius cum populo, alius cum optimatibus eundē con ſtituere præſumit, quod fieri nequit. Nam ſi ſunt plu res Principes ſubordinati vni, non eſt ariſtocratia, nā vnius eſt imperium, quia quos voluerimus habere ari ſtocratiam ſingulos non habere conſtat, ſupremam poteſtatem, quæ in pluribus tamen optimatibus fuit in ariſtocratia. Vel ſi dicamus illis ſummam poteſta tem eſſe, non erit præcipua monarchia, quæ ſolius ſu premæ poteſtatis eſt in ſibi ſubditos: Rurſus ſi dica- mus, ad populum pertinere electionem horum prin cipum, penes populum ſolum erit ſuprema poteſtas, (cuius contrarium inferius c. 12 probabimus) & non penes electos, quemadmodum nemo negabit, dicta- tores, qui ſupremam poteſtatem accipiebant à popu lo Romano, vicaria populi poteſtate functos, & ideo non monarchiam, aut ariſtocratiam geſſiſſe, is enim qui nomine alieno imperat, quamuis cum commo- da poteſtate, tamen in eo quod ab alio dependet, ſu-

premam

premam minimè gerit poteſtatem, neque ariſtocraticam, neque monarchicam, quia illæ non pendent à populo.

Fortius apparebit abſurdum huius opinionis ſi cõtingat fieri electionem in locum Principum minorũ demortuorum, tunc quæremus, à quo illa ſit facienda; ſi à populo, erit pura democratia, & reſidet illa reſpub. in beſtiam, ſicque excludemus monarchicam, quæ velut ſtatua in ſuo throno titulis ſuis ornata, ſine ſpiritu & poteſtate ſedebit, ſimilis leonibus throni Salomonis; Si ab optimatibus: rurſus incidemus in ariſtocratiam. Si vero cum illis adhibendum dicamus ſupremum Principem, tunc is ad numerum optimatum reſtringetur, non maioris poteſtatis. Si vero dicamus ipſum eligi à populo ſimul & optimatibus, tunc, vel id fiet ſine, vel cum conſenſu Principis; ſi ſine iuſſu & ex illorum ſola voluntate, erit monarchia; ſi dicamus iuſſu principis & monarchæ fieri, iam monarchiam ſolam cognoſcere cogimur, cuius nomine & imperio alij creentur Principes, ſeu magiſtratus ſubordinati. Nec intereſt ſi dicas, ipſum p ſe ſeu per alios id facere, quibus committit, cum idem ſit quod per alios facit, atque quod per ſeipſum faceret, & talem hic ſupremum Principem & Gubernatorem intendimus, cuius, in nullo reſtringatur authoritas vel poteſtas. Cuiuſmodi in populo nulla inuenietur, quippe quod populari multitudine nihil eſt inſipientius aut inſolentius ad res agendas, ſine cõſilio, præceps, ad inſtar fluminis, beſtia multorum capitum, amat eos qui eum decipiunt, perſequitur benefactores, ſine conſilio furit, vt non immeritò Senatus Romanus potius elegerit Tribunum Romanis cõcedere, quam ineffrenam licentiam promittere, quæ omnia conturbat, ſine iugo.

Velle

Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno: quod certe populari adminiſtrationi, cum ſit valde periculoſum, & ad ſeditiones incentiuum, magis multò damnoſum erit, Reipub. in ariſtocratia, quo maiorem quisq; de ſua probitate opinionem conceperit ſupra alios, naturalis etiam eſt ad diſſentiendum facilitas, & quot capita tot ſenſus.

Quod ſi quando exſtiterunt Reſpub. democraticæ, vt non negamus; eas tamen non diu perſtitiſſe certũ eſt, atque quandiu perſtiterunt, non tam conſilio populi, quam virorum prudentum induſtria & ſapientia. Quare conſultum eſt c. Oſius de elect: ne populi iuditium quod corruptum plerunque eſt, quis ſequatur, omnesq; fermę qui de populo ſunt, ita ſe rem habere dicent. ſi verum fateri volunt, obnoxios paſſionibus, & affectibus, odio, iræ, cupiditati & amori temerario. Neque id quod arbitrio populi factum eſt, ipſimet poſtea diu placere poteſt, Quare qui populũ bene regere deſiderat, non quod illi placere poſſit, ſed quod bono viro conuenit, & quod vtile ſit, agere debet, quod docuit lepido exemplo Polycletus, vt refert Aelianus lib. 14. hiſt. variæ, qui eodem tempore duo ſymulachra fecit, alterum ad arbitrium plebis, alterum iuxta peritiæ artisque normam, gratificatus vero hoc modo populo eſt, ad ſingulorum acceſſum tranſpoſuit, & commutauit aliquid, morem gerens vniuscuiusq; voluntati, & narrationi; itaq; poſtea propoſuit vtrumque, & alterum quidem omnes admirationi, & alterum ludibrio, & riſui habuerunt; videns autem Polycletus, & hoc, quod vituperatis inquit & reprehenditis, à veſtra arte profectum eſt: quod vero ſuſpicitis, ego ſum mea facultate fabricatus.

Hanc intemperiem populi immaturamq; ſortem conque-

conqueritur Heraclytus, vt est apud Cicer. in 5. Tusculan: quod Ouidius his versibus expressit. de duro & vltimo ferro.

Protinus irrumpit vitæ peioris in ævum
Omne nefas, frigere pudor, verumq; fidesquè
In quorum subiêre locum fraudesq; doliq;
Insidiæq;, & vis, & amor, sceleratus habendi

Vnde omnes qui hac de re scripserunt, inter formas regiminis rerum publicarum eam magis eligendam censuerunt, quæ vnius est, & si componenda est respub., illam quoque præstãtiorem, in qua primæ partes monarchiæ, reliquæ quæ eidem subijciãtur aristocratiæ & democratiæ tribuantur.

Plutarch. in lib. de monarch. si optio inquit eligendi concessa fuerit, non aliud eligat, quam vnius potestatem: Arist. 8. Ethicorum c. x. horum inquit optima regna pessima respub. est.

Plato in primis quidem probauit rempublicã optimatum, sed omnibus regiam proponit, & vnius, si Rex talis reperiretur in ciuitatibus, qualis inter apum examina, si corpore & animo alijs excellẽtior, inueniretur: Tyranni execratur, qui leges contemnit, & Isocrates ad Nicoclem, tanto Monarchiam faciliorem non immeritò iudicauerimus, quanto facilius est animum suum vnius viri instituto accommodare, quam multis, & varijs opinionibus placere conari: & proinde cum plures imperant, facile & moribus & voluntate dissident. Difficile est populo æque placere, & satisfacere, ideo ex multorum principatu factiones oriuntur, propter diuersa iubentium & obtemperantium studia, quod Saluator noster cõfirmat dicens Matth. 6. Nemo potest duobus Domi
„ nis seruire, maximè diuersa & contraria iubentibus.

Inter optimates cum plures ibi virtuti incumbant in pu-

in publicum, vehementiora etiam priuatim odia concitari solent; cum enim Princeps quisq; esse optet, & in dicenda sententia vincere, ad ingentia inter se odia accedunt, ex quibus seditiones existunt, ex seditionibus cædes, & cædibus ad vnius tandem imperiū deuenitur.

Durum est vnius tyranni iugum, at longè grauissimum duorum vel plurium, quia populus per se bonorum inimicus, nobilitatis & virtutis hostis, mobilis, & quod semel probat facere, eadem inconstantia reprobat: sicque satius erit sub periculo vnius Monarchæ cum metu, ne in tyrannū degeneret viuere, quā sub pluribus, qui eodem metu nos possunt opprimere. Quod certè damnosius est, si quidem non tam facilè satiantur tres aut quatuor, aut plures tyranni, quā vnus: & plus est obnoxium esse plurium prædę, quā vnius. Idemq; fiet, si ex pluribus vnum coluēris, tūc alius grauius te affliget; si vni sis amicus, alium habebis hostem; vel saltem perpetuo eris ei suspectus.

Misera res pluribus Dominis seruire, & talibus qui imperare & cogere possunt.

Aliud accedit incommodum ex aristocratia, cum enim in illa tantum munera, & honores diuidantur, reiectis ijs qui ex populo sunt, ingens sibi odium concitabunt eorum, qui quāmuis inter optimates, ex diuitijs vel nobilitate generis non computentur: tamen & naturali ingenio, & alijs virtutum donis excellūt, vt se contemptos ad munera, quibus se alij idoneos dicunt, arbitrentur, quò fit vt populus in eos excitetur, & de sic imperantibus occidendis secretò, aut publicè cogitent; & illi nec se populo tuto cōmittere, neque inimicis fidere audent, perpetuo metu, velut Dionysius ille Syracusanus docuit, & dicentibus se es se beatum, demonstrauit, suspenso tenui filo è loquea

ri in caput eius, enſe diſtricto imminente, inter pretioſas epulas miniſteriaque regia ceruicibus ſuis interitum.

Neque poſſunt eodem remedio vti ariſtocratici, ſicut Monarchæ, qui conſtituunt ſine metu magiſtratus, & populares participes fiunt dignitatum, etiam inuitis nobilibus: nec refert, propterea monarcham repelli poſſe, quod facilè in tyrannidem, vel quodlibet audendi libertatem incidere timendum ſit, illud idem enim in alijs omnibus rebuspubl. accidere poteſt, ex eadem enim natura & elementorum qualitatibus cõſtant optimates, quibus & monarcha, vnde idem illis timendum erit, quod iſtis, neque debet propterea bonus vſus abrogari propter malum vſum, cũ humana temeritas & audacia in vniuerſum, & diuinis & humanis legibus abutatur, omniaque reliqua humani generis vſui deputata abroganda forent, quia hominum improbitas ad ſuæ cupiditatis obſequium eadem intorquet.

Qui ergo aliud, quam quod pluribus placuit, certioresq; habet, veritatis probationes, ſtatuere voluerit, non aliud intendit, quam nouam rebellandi contra ſuperiores occaſionem inuehere, præſumptionẽq; quandam ſtultam, cum furore, & vi mixtam conſtituere, quod valde ne dum impium, ſed & diuinæ, & naturali ordinationi contrarium. Deus enim cum primùm Angelos creauit, oportuit tunc ſtatim vnũ Deum cognoſcere, ſicque cum primum hominem fecit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, eidem imperium in omnes creaturas contulit, ſicque deinceps ab eodem Adamo conſtitutum eſt, vt omnia omnibus competentia reſponderent membris offitia. Valdè enim monſtroſum foret, ſi quis ſine capite vellet eſſe, aut niteretur conſtituere, vt membra pro capite

essent, & vt ipsa se regerent sine capite, & communi mente: aut ea lege, vt omnia officia cuique propria, communiter & promiscue gererentur. Omnia enim membra corporis in id maxime oportet incumbere, vt discretionem inter sese, & varietatem actionũ functionumq; retineant, quod est vnius corporis singulare inditium, vnitatisq; maximum argumentũ, qua vnitate reliqua omnia in toto corpore conseruantur. Hæc vero vnitas nullo modo esse, aut comparari poterit, nisi vnus cognoscatur Dominus, à quo cæteris omnibus imperetur: quemadmodum enim pugnantia & contraria ex natura sua elementa, in vnum non coalescerent, nisi præstantior aliquis esset, qui tanquã Dominus ea coniungeret, & cui illa obtemperarent (non enim singula ad suam naturam respectantia, cũ alijs depugnant, sed eum, qui ea ita coagmentauit, dominum agnoscentia, concordiam inter se fouent, & naturaliter quidem inter se contraria, gubernatoris voluntate inter se amicitiam conciliantur) sic & ciues moribus inter se dissimiles, nullo modo coniungerentur, nisi Princeps adesset, cui illi obtemperantes, in mutuam amicitiam venirent, quo fit vt tunc ciuitatem aliquam & rempub. ex multis, varijsq; hominibus constantem, concordia frui, bono ordine, recta disciplina, & pietate coli, eosq; qui ibi degunt, tametsi diuersos inter se, animo tamen consentire, nec in se inuicem insurgere, sed omnes æqualitate iuris pacem tueri conspicimus: statim colligimus Principem ibi esse, qui huius animorum consensus & tranquillitatis author existat, quamuis ille in conspectum se nobis non dederit. Ordo enim principis curam moderationemq; demonstrat, immodestia verò, & licentia ciuium rempub. sine capite esse manifestè ostendit.

Huius monarchiæ primam originem ipſe Adam in poſteros primus transfudit, ipſe enim ſolus creatus monarcha totius orbis, primaque deinde ab eo naſci turorum cauſa creatus fuit: vti autem Deus hominẽ fecit, vt ſibi ſoli ſubiectus, dominaretur cæteris mortalibus: ita indidit ei etiam rationem, qua poſſet dominari longè præſtantiorem, tanquam legem viuentem & intimam, vt quia per rationem, Dei capax factus eſt: hoc autem non habuit ex propria virtute, ſed ex poteſtate à Deo conceſſa, qui cum vellet ei imperium concedere, voluit quoque in eo ſignum obediẽtiæ & ſeruitutis omuium rerum in eius corpore coniungere: vnde mulier ſibi in adiutorium facta, ne monarchia ſimul cum ipſo vti videretur, ideo ex latere, & non ex capite eius formata fuit, & poſtquam decepta à Dæmone, & ipſa decepit virum, ſicque quodã modo poteſtatem & æqualitatem, quam primo habuit cum viro, amiſit, & ſuppoſita fuit poteſtati viri. Gen. 3. Et quamuis ipſe Adam præuaricatus legem Dei, in pœnam incidit, omniumque creaturarum rebellionem in ſe ſenſit, tamen per Chriſtum & ſecundum Adamum ſibi imperium eius confirmatum eſt, & regeneratis à ſe in Spiritu Sancto: ſicque Dei omnipotentis diſpoſitioni complacitum eſt in Adam, qui pater omnium per propagationem carnis eſſe debebat, fieret etiam pater per gubernatiõnem & inſtructionem, ſicut & deinceps factum eſt, ipſiusq; Adami imperium dilatatum, magis magisq; confirmatum, formata ſibi ex coſta ipſius muliere, dum per ſomniũ excitatus à Spiritu Sancto, vaticinabatur hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; perpetuum nexum, & vinculum indiſſolubile inter virum & vxorem futurum pronuntians, quod in Repub. Chriſtiana erga ſuperiorem inferiores recognoſcunt.

Si enim Deus ex vno, vt Paulus ait Act. 17. fecit omne genus hominum, Deus caput vnum, vt ait Chrisost. in 1. Cor. hom. 34. omnibus dedit ipsum Adam, cur enim e terra, quemadmodum ille, perfecti non sumus, nempè vt partus, vt nutricatio, vt successio generandi nos inuicem ligarent? ob hanc causam nec mulierem ex terra fecit; itaque veluti à capite quodam vno, totum humani generis corpus dependet: & quia iam inde à principio duo parentes, fuisse videri possunt, vide qui conglutinet, qui in vnum lege connubij cõiunget, & eum ex quo facta est, maritum mulieri tradit. Deinde hunc imperare, illam subesse iussit: & post pauca, cum dixisset Adamum fuisse caput omnibus datum, inquit; Deum quia nouerat inter æquales æmulationem esse, nõ democratiam, sed regnum constituisse, cui statim ab initio Adamũ præfecit; qua sic durante, generatio ipsius Adæ & Euæ subsecuta fuit, aliudque imperium nouum cœptum haberi in filios procreatos, ad eos alendos, conseruandos, & promouendos, quod est amicitiæ naturalis cura, & solicitudo in suos, non minus quam in se ipsum, cum naturaliter parentibus de substantia corporali filij participent, sicque ex natura ipsi pareant, sicut vicissim ex natura ipsis filijs, parentes prospiciunt; nulla enim tunc lex quæ liberos sub patria potestate esse iuberet, lata fuit; hincq; familiæ sub patribus familias esse cœperunt, & principes societatis humanæ primum dicti sunt, quibus naturali propagatione, Deique monitu procedentibus, in hunc vsq; diem naturalis principum origo legitima esse comprobatur: quãuis aliqui ab hoc naturali ordine, & dominatu desciuerint, eò quod seorsim voluerint ab Adamo imperare, & constitnere plurium dominatum seu aristocratiam, vt legitur de Caim, Lamech, & Nembroth,

quod

℣. filij Noè nõ fecerunt, qui poſt diluuiũ, poteſtatem acceperunt a patre ſuo, diuiſaque terra in tres partes orbis, eam incolauerunt nomine patris ſui, donec ſoluti à patria poteſtate, parenteq; mortuo intra ſeſe quilibet terram partiti ſunt, & monarchicè dominati, veluti pater legitimus & naturalis eorum, qui à ſe deſcenderunt.

Quæ omnia fusè comprobantur in x. cap. Gen. & ij, vbi naturalis regum principumq; ſucceſſio, eousq; conſtitit, donec Deus confunderet ſuperbiam eorũ, in ædificatione turris Babyloniorum; quod mirum non eſt: cum enim homo ſit animal ſociale, & ſibi aliorum hominum ſocietates elegerit, ſi eaſdem continuare voluit, neceſſe fuit, quod modum aliquem regendi, & continendi illos adinueniret, quem deinceps communi hominum vſu atque conſenſu, cum authoritate eorum hominum, qui huic negotio vacarent, comprobarent.

Diuus Auguſtinus lib. 3. de confeſſ. c. 8. generale pactum ait ſocietatis humanæ, obedire regibus ſuis; accedit Hermogenianus I. C. relatus in c. quæ contra mores. diſt. 8. qui præclarè teſtatur ex iure gentium introducta bella, diſcretas gentes, regna condita, dominia diſtincta; & Pompon. l. ex hoc iure. ff. de iuſt. & iur. Iuris gentium ideſt ex iure, quo gentes ferè omnes vtantur, ait eſſe erga Deum religionem, & vt parentibus & patriæ pareamus. quorum omnium cauſam legitimus princeps ſuſtinet, vt miniſter iuſtitiæ & æquitatis à Deo probatus cum poteſtate, quæ à Deo pendet.

Hanc monarchicæ poteſtatis rationem, vel maximè Deus ipſe inſtituit, dum ſuper populum ſibi peculiarem, principem vnum, & non plures delegit, ſolũque Moyſen, ipſumque ad Regem Aegypti ablegauit,

uit, cumq; desuper potestate sufficienti communiuit, in tantum, quod nec ipsi Moysi legationem hanc detrectanti, & se ob linguæ obstaculum excusare volenti, alium ceu comprincipem eadem potestate pollentem Deus sibi concedere noluit, imo iratus Dominus in Moysen, quod tanquam non idoneus solus recusaret hoc munus à Deo, exod. 4. ideo fratrem suum Aaronem, non tanquam comprincipem, sed tanquam ministrum & executorem, & interpretem suæ legatio
„ nis addidit: Aaron frater tuus scio quod eloquens
„ sit, ecce ipse egredietur in occursum tuũ, vidensque
„ te lætabitur: loquere ad eum, & pone verba mea in
„ ore eius, & ego ero in ore tuo, & tu in ore illius, & o-
„ stendam vobis quid agere debeatis, & ipse loquetur
„ pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in
„ his, quæ ad Deum pertinent.

Exemplum clarissimum huius vnius principatus est illud Num. ij. cum Moises propter populi pertinaciam diceret, se non posse ferre eum populum; tũc Dominus iussit ei, vt eligeret septuaginta uiros de senioribus Israel, & quos ipse nosset esse senes & magistros æquos, quod est valde notabile, & Dominus (in-
„ quit) deduces ad hostiam tabernaculi fœderis, faciel-
„ que stare tecum vt descendam, & loquar tibi, & aufe-
„ ram de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecũ
„ onus populi, & tu non solus graueris. Ex quo patet, illos solum ibi per Moysen electos fuisse, ad præceptũ Dei, non vt alijs præsint absolutè & imperent, sed vt coadiuuent Moysen. Non secus in Christi repub. dicitur Hierarcha supremus, alios in partem solicitudinis cooptare, reseruata sibi plena in omnes alios potestate, quemadmodum princeps secularis, alios sibi magistratus, non ea qua ipse præest potestate, sed limitata, constituit, aliosq; præfectos efficit in partem

cura-

curarum & inferiorum iuditiorum. Quod maximè Reipub. expedire teſtatum erit, ſi veterum perueſtigauerimus ſcriptorum & hiſtoriarum monumenta.

Lacedæmonij, Romani, & alij populi penes quos plures olim erant dominationes & principatus, tandem vel inuiti ad vnum imperium redire coacti ſunt: Romani nanque licet ita faſces imperij inter conſules diuidebant, tamen eo modo concedebant, vt non ſimul, ſed ex illis alternatim vnius faſces poteſtatis haberet ſolus, alternis ſiquidem menſibus mutabant ſe cures duodecim, vno menſe penes eum, poſtea penes alium, inſignia poteſtatis erant, in caſtris vero ſi morabantur ambo conſules, nõ imperabant ambo ſimul ſed alternatim per dies; imo quantumuis nomen regium abominabantur tamen poteſtatem ipſam regiã ipſi Romani coacti ſunt, vix nouem annis exactis regibus, mutato nomine regio, in dictaturam reponere temporalem ſeu ſemeſtrem, ob neceſſitatem ſedandæ ſeditionis, & rei gerendæ in populo, cuius Dictatoris tantus erat apud hoſtes terror, vt eius edictum pro numine obſeruatum fuerit, vt ſcribit Linius in 6. & eo creato ſtatim à mænibus diſceſſerunt inimici.

Iuſtinus in Trogo lib. 41. ad finem ſcribit, quod Eucratides Bactrianorum Imperator, poſt bella magna virtute confecta quibus attritus, cum obſidionem Demetrij Regis Indorum pateretur cum 300. millibus, 60. millia hoſtium, aſſiduis eruptionibus vicit, quinto itaq; menſe liberatus, Indiam in poteſtatem redegit, vnde cum ſe reciperet, à filio, quem ſocium regni fecerat, in itinere interficitur, qui non diſſimulato parricidio, velut hoſtem nõ patrem interfeciſſet, per ſanguinem eius currum peregit, & corpus abijci inſepultum iuſſit.

Atrocius facinus refert idem lib. x. de Artaxerxe Re-

ge

ge Persarum, qui vti Plutarchus narrat, ex centum pellicibus, quindecim filios sustulit, quorum tres tantũ ex iusto matrimonio fuere. Darius, Ariaretes, & Ochus: ex his Darium contra Persarũ morẽ, apud quos Rex nõ nisi morte mutatur, p indulgẽtiã pater viuus regem fecit, nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, synceriusq; gaudium ex procreatione capturum, si insignia maiestatis suæ viuus in filio conspexisset. Sed Darius post noua paternæ pietatis exempla interficiendi patris, consilium cœpit, tanto que sceleratius, quanto plures fratres in societatem facinoris fecit, parricidas, & tanti sceleris authores deprehensi, cum socijs pœnas Parricidij, dijs paternæ maiestatis vltoribus dedere: coniuges quoq; omniũ, cum liberis, ne quod vestigium tanti flagitij extaret, interfectę sunt: hęreditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum cæde, & strage principum replet, scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur, atque ita veluti purificato regno, bellum Armenijs intulit, in quo à Cadomano quodam trucidatus, atque regno is potitus est, ne quid regiæ maiestati supereſſet. Sicque totũ Artaxis ex sanguine eius genus extirpatum est. Cadomanus cum Alexandro Magno diu variante fortuna, bellum magna virtute gessit, postremo victus ab Alexandro, & à cognatis occisus, vitam pariter cum regno Persarum finiuit.

De Cambyse filio Cyri regis Persarum refert Iustinus lib. 1. quod is imperio patris Aegyptum adiecit, sed offensus superstitionibus Aegyptiorum Apis, cæterorumq; Deorum ędes dirui vellet, ad Ammonis quoq; ameniſſimùm templum expugnandum exercitum mittit, qui tempestatibus, & arenarũ molibus oppressus interijt: posthæc per quietem vidit fratrẽ

suum

ſuum Mergidem regnaturum, quo ſomno exteritus, non dubitauit poſt ſacrilegia, etiam Parricidium face re; erat enim difficile, vt parceret ſuis, qui contemptu religionis graſſatus etiam contra Deos fuerat; adhoc tam crudele miniſterium, magum quendam ex amicis delegit, nomine Comarim, interim ipſe gladio ſua ſponte euaginato, in femore grauiter vulneratus, occubuit, penasq; luit, ſui imperati parricidij & ſacrilegij perpetrati.

Scribit Herodianus lib. 4. cum poſt mortem Seueri Imperatoris, Antoninus Baſſanus cum fratre Geta ſeditiones moueret acerrimas, diuiſerũt inprimis inter ſe regias; ſeparatim, habitantes, & cum non poſſent ad concordiam reuocari, viſum eſt matri & amicis, ipſisq; conſentientibus, imperium inter ſe diuidere, ſed tandem Antoninus imperij totius cupiditate inſtigatus, irrupto fratris cubiculo, nihil tale expectantem, eum ſupra matris pectus, multò inundantem ſanguine ſæuus obtruncauit. Eccè quid peperit multitudo regnare volentium quidue indomita libido? ſatius ergo erit, tutiusq; & ſalubrius, vnius regis principisque dominatu viuere, quam dum multorum regnantium ſæuit cupiditas, hoſtiliter deperite.

Ex quibus omnibus liquido conſtat magnum imminere reipub. exitium, dum ex multitudine regimẽ conſtituitur, quorum omnes ſibi, ſiue per fas ſiue per nefas aditum comparant, nec alium ſibi præferri exiſtimant, ex eo quod æquales ſint inter ſe, quod ſæpe fit, vt & factum eſt, vt qui cum collega principatus cõuenire, vel nolit, vel non poſſit, argumentum ſumat confugiendi ad populum, ſimulando ſe cauſam populi fouere, cum tamen eiuſdem populi præſidio, aliud nihil, quam cæteros collegas à poteſtate deturbare conetur, hocque ſolum incommodum, tam in populo,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quam optimatibus, efficit dominandi libido.

Sicut vero non omnia omnibus communia sunt: sic nec omnibus ad eam dignitatis excellentiam iter pátet, propter summarum rerum & fortunarum confusionem. Si enim res ipsas & bona hominum consideremus, ea paria non erunt, sed pro conditione vnius cuiusq;, aut maiora, aut minora, sic etiam hominum status & mores. Si autem omnibus indifferenter, aut pluribus principandi dominium concedatur, oportet vt etiam omnes naturas, vnius diligentiæ, æqualis virtutis, & roboris, ætatis & generis sint, itemque facere, vt commertia cessent, & sibi quilibet sufficiat, ex quibus tãtum abest, vt constare possit respub., vt eriam maximè confundatur: homines enim æquales esse non possunt, neque in dignitate, neque in authoritate, neque potentia; alioqui, & leges diuinæ & humanę inutiles forent, quæ vnicuiq; quod sum est tribuere docent. Quid vero aut tuum aut meum dicam, si omuia æqualia, & communia sunt? quod certè quam absurdum sit, is facilè, qui vel solum familiã suam considerabit, nullo alio quam natura admonitore inueniet, quam illi desipiant, cum nihil tam bono regimini, quam istam æqualitatem & communionẽ, quam nec ipsi in sua domo pati possunt, repugnare certissimum sit.

CAPVT SEXTVM.

Qualis Princeps esse debeat.

QVIA omne bonum ciuium totiusque reipub. Christianæ, ab vno summo Principe dependet, nullo labore comperiemus, principem talem esse debere, qui maximam cum illo summo bo-

no

no coniunctionem habeat, cum neceſſariò illud per quod ad boni alicuius cõſecutionem impellimur, ab alio bono proueniat, tantoque proximius ei ſit, quanto nos promptius & vehemẽtius ad bonum illud adipiſcendum concitat, eidemque nos quantum fieri poteſt, ſimiles efficere ſatagit: nemo enim non componit ſe ad illius ſimilitudinem, cuius alios æque ſimiles eſſe cupit; Vnde cum principes maximè decet imitari Deum, ſummeque illi bono vniuerſali, ac perpetuo ſimiles fieri, cuius nos vel imaginem aliquam, quando rem ipſam habere non poſſimus, aſſequi deſiderant, manifeſtum euadit, principem pium & religioſum eſſe debere. Quia vero ſæpenumero euenire ſolet, vt tenue ſymulachrum boni præſentis alicubi elucęſcat, & intime operiatur maximum malum, aut ẽt, maxima & plurima bona exigui mali obiecto, & integumento operiantur, vel aliquid iucundum nos titillet, nunc ad præſens, poſt aliquod vero tempus, inde acerbiſſima mala nobis accidant, atque ita eludantur miſeri mortales, dum circumuenti inani ſpe boni tẽporalis, ciuilisq; commodi, demum corruant in maximas, atque extremas, tum corporis, tum animæ miſerias, opus eſt non mediocri ſapientia, ne ſpectris huiuſmodi ſuperiorum Principum eludamur, malumq; nobis pro bono vendicetur; illud autem maximè bonum eſt, quod maximè Deo nos coniungit, & in alios latiſſimè deriuatur, atque effunditur, illos Deo reconcilians, & quantum datur adſocians, quod eſt religio vera, & fides non ficta, hæc eſt actionum noſtrarum moderatrix, norma virtutum, & ſingulare ipſius diuinitatis exemplar, quod nõ ſolum oculis intuemur, ſed intimo penitus amore inflammati, in illud conformamur cogitatis, dictis & factis, primumque ante omnia, nos Deum rectè colere docet, & rectam de di-

uinis mentem habere instituit quam Trismegistus pietatem & Dei cognitionem appellauit, omnique reipub. vel maximè necessariã, adeò quod nulla vnquã extitit, neque regnum aut imperium erit, cuius non fuerit primum hoc religionis fundamentum.

Hinc duodecim tabularum conditores, primũ eandem partem ad religionem spectare voluerunt, quod præ alijs omnibus virtutibus hæc vna religio respublicas, regna, & imperia instituat, firmet, sartaque tecta conseruet, eaque vnica sit, cuius causa conditi sumus, atq; hanc in lucẽ procreati, & propter quam reliqua omnia nostra subijciamus, fore credentes, vt exinde præ alijs gentibus exaltemur, quod sacra illa testantur eloquia Deut. c. 26. Dominum elegisti hodie, vt sit tibi DEVS, & ambules in vijs eius, & custodias ceremonias illius & mandata, atque iudicia, & obedias eius imperio: & Dominus elegit te hodie, vt sis populus peculiaris, sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius, & faciet te excelsiorem cũctis gentibus quas creauit in laudem, & gloriam suam, vt sis populus Sanctus Domini Dei tui. Ex quibus, nõ alium in finem nos conditos habemus, quam vt in laudem & gloriam prępotentis Dei simus, quę sane summa religio est, & vnice à principibus terræ exposcẽda.

Quibus sic stantibus optimo iure, rectissimoq; ordine inferemus, principem qui caput est reipub. moderatorq; omnium aliorum magistratuum, atque in subditos suos perpetuus influxus, cuius primum maximæq; necessarium fundamentũ cum sit, viua & Christiana religio, ne ex duplici panno vna vestis texetur, ne ve cum infideli populus iugum ducat, aut ex bene constituta hominum societate monstrum aliquod generetur, in vna sancta, vera, christiana, catholica, apostolica & Romana religione, aprimè institutum

esse

esse oportere. Valde enim indignum foret, si dei populus olim ethnicum aliquem regem, vel principem elegisset; quamuis nemini dubium sit, Romanum Imperium longè ante, atque aliorum regna sub gentilibus principibus & regibus rectum, & gubernatum fuisse, sed qualis tunc populus erat, talis eidem respõdebat ptinceps, nunc autem non sic, nam in Hæbreorum populo obseruatum legimus, Eusеb. lib. 1. histor. c. 5. Isidor. lib. 2. de diuin. off. quod reges eorum simul in religione, Deique præceptis, cum populo ambulabant, idque iuris tam diuini quam naturæ legibus conformes fuisse, Sanctorum Patrum concors est sententia, vt nullus alius ad regni alicuius gubernacula assumatur, quam is, qui Christo, & nomen, & fidë dederi. Cum dixeris inquit, Moyses, Dei nomine ad
„ Israelitas, Deut. 17. Constituam super me regem,
„ sicut omnes per circuitum nationes, eum constitues
„ quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fra-
„ trum tuorum, non poteris alterius gentis hominem
„ regem facere, qui non sit frater tuus. Cur sic? fundamentum namque regię dignitatis religio est, quam duabus veluti alis contineri docet, S. Cirillus Hierosolimitanus catechesi quarta, piorum scilicet dogmatum certitudine, & bonis operibus ita vt neque dogmata sine pijs operibus aliquid valeant, neq; opera absq; pijs dogmatibus Deo grata acceptaque sint. S. Augusł. lib. de vera relig. meo quidem iuditio apertius, & luculentius dixit, religionem nobis duo significare, & vt benè de Deo sentiamus, & vt rectum ei cultum exhibeamus. Ergo necessarium est, vt princeps recta veraq; de Deo sentiat, Deumq; cognoscat, ne rectæ administrationis ratio succumbat.

Quæ enim salus erit populo, quæ pax, quod solatiũ, nisi Principem habeat, qui Deum sciat, vnum esse, &

se, & optimum, maximumque, & sempiternum, & summum omnium rectorem, & ipsum iudicem credat, quem nullus effugere potest, nec aliquod latere secretum, simulatq; improborum regum Vindicem esse seueriss'mum? Sanè in Tyramnidem facilè degenerabit talis principatus.

Debet etiam adhoc esse diuinitatis cultor uerus, Princeps sacratumq; ceremoniarum, quæ in sacris legibus consistunt, acerrimus propugnator, alioqui minus consultum erit principatui suo, sed scelere & immanitate omnia complebuntur, vt ait Lactant. Trimianus in lib. de ira c. 8. tantoque fœdius regnabit, quanto minori excusatione dignus habebitur, sic à natura enim videtur mentibus hominum inditum, vt religioni multum tribuant, & authoritati diuinæ, & quæ arbitrantur ei coniuncta, eo vinculo in maiori veneratione habeant, omnes ait Cicero 5. orat. in Verrē religione mouentur, & Deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi deligunt, & retinendos arbitrantur, neq; credendum est, Ethnicos hoc lumine naturali caruisse, quamquam enim aberrarint in pluralitate Deorum falsorum, tamen habentes impressam in anima imaginem de diuino numine, semper mansit apud eos, & reuerentia, & metus.

Optime illud præsensit primus vrbis conditor, tametsi Deum verum non agnouerit, naturę tamen duce numen aliquod intelligens, cum salutatus fuisset Rex, sacra quædam certis ritibus fieri constituit, metuens ne sacris & religione respub. destitueretur, aut ijs neglectis, populus prophanus efficeretur: quare primum regij muneris esse voluit, sacra fieri, & sacrificia, per eumq; geri, quidquid ad placandum Deum pertinet, vt scribit Dionysius Halicarnas. in 2.

Mos erat apud priscos illos reges, quod in electione princi-

principum eorumdemque in auguratiōnibus, certa quædam insignia, salutationesque & apparatus fierēt, quibus indicaretur regem, & principem creatum esse, qui Deorum honores, & populi pacem conseruaret: eorum vero quæ tunc fiebant, quædam recensēt Herodianus lib. 7. quod populus Romanus ad inthronizandum insigniendumque Imperatorem, ritibus antiquis & salutationibus nouis vsus fuerit: talia inquit loquentem, exercitus omnis cæterumq; vulgus, Imperatorem atq; Augustum consalutauit, tum amictum purpura, reliquoque ornatu atq; apparatu, ibidem ex tempore conquisito, præcedente etiam igne, in Antiochiæ primum templa, mox ad suas ædes deduxerunt. Quam inductionem ad templa duabus de causis factam fuisse idem dicit, vel quod honores viderentur illis dari diuini, vel quod Imperatores initiarē tur sacris, vt omnia etiam sacra in sua dispositione habentes, liberè tractarent.

Dictys Cretensis lib. 1. de bello Troiano in principio, morem fuisse dixit in Græcia, pro inauguratione Principum, quod ad templa ductis, confluenteq; turba benigne salutati, atq; ibidem multarum hostiarū (more patrio) īmolationē celebrarint: sic quod ignes præferentur hoc acceptum fuit à Persis, apud quos in more positum fuit, ignem diuinis honoribus honorare, & adorare, & inextinctum conseruare, regiq; suo, quem vt Deum adorabant præferre. Strabo lib. 17. & in Eccles. stist. lib. 7. c. 8. ad veritatem illius ignis æterni & indeficientis, cuius symbolum habebat ille ignis, qui ardere debebat perpetuo in altari, ex iussu Dei, Leuit. 6. quod imitati sunt quidem populi illi, & ignem apud se sacrum conseruare conati sunt, verum non Deo, sed idolis hoc ipsum se facere professi sunt: Nos vero qui principibus nostris eorumq; inauguratio-

tionibus, ignes chorosque celebramus, non tanquam Dijs id facimus, sed eò solum, vt ipsi discant, se loco Dei hic in terris vices, atque ipsius imaginem gerere, proque religione tanquam pro focis & aris decertare debere.

In igne duo potissimũ adnotauit Basilius in psal. 28. & vim vrendi, & uim illuminandi, quorum alterum aliud non designat, quam quod sicut ignis in tenebris visitur, non quia ignis, neque calor, sed vt participat quodammodo naturam quinti elementi, seu ætheris incorrupti, & supremi, nempe Dei, & religionis. ad hunc modum olim præcedebat filios Israel in deserto. Exod. 13. & 24. ostendens eis viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore, quæ omnia erant symbola nostrorum principum secularium quibus sic semper lex Dei, & semita mandatorum ipsius adest debent, vt secundum ea populum iudicent, præcedantq; illum in columna nubis & ignis, idest præluceant bonis operibus in vita & disciplina, quia regis ad exemplum totus orbis componitur, quorũ vtrumq; non rectius expeditur, quam si syncerus in fide & religione Deiq; cultu existat.

Huius religionis synceritatisque cultus Dei, exemplum esse potest regius ille Dauid, qui ubi à Deo electus, regnum suum auspicatus est, à restitutione & instauratione cultus diuini, & Dominus Moysi ait, Deut. 17. postquam rex sederit in solio regni sui describet sibi Deuteronomium legis huius, in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leuticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud cunctis diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres

„ tres ſuos, nec declinet in partem dexteram, vel ſini-
„ ſtram, vt longo tempore regnet ipſe, & Filij eius ſu-
„ per Iſrael. Cum igitur in maxima laude profitum fue
rit ſemper, principem pium eſſe, & religioſum ac de
Deo rectè & ſyncere ſentire: contra vero nil magis
execrandum, ac Reipub. pernicioſum, quam Princi-
pem in impietatem & ſuperſtitionem deficere, fit ſa-
ne, quod non minus flagitium ſit ſi Reſpub. Chriſtia
na hæretico Principi ſe regendam tradat, quam olim
fuiſſet, ſi Dei populus aliquem ethnicum, & idololā-
tram in regem elegiſſet, non enim eſt maius vinculū,
ſocietatem hominum politiamq; rectam dirigens,
quam cum eiuſdem ſunt religionis probatæ, quæ vna
eſt, & populus & Princeps. tunc. n. à vera politia aber-
„ rare non poſſunt, vt Dauid dicebat Pſal. 118. Lucer
„ na pedibus meis verbum tuum.

Deus etiam remunerat cultores ſuos, quando vni-
uoce populus cum Principe conueniunt in eundem
locum, & eandem Eccleſiam, fit enim tunc quod
„ idem regius ille vaticinatus eſt, Pſal, 101. in conue-
„ niendo populos in vnum, vt ſeruiant Domino: (&) do
„ cebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur,
Pſal. 50. ad quod reges plurimum excitantur ait. n.
„ Pſal. 2. & nunc reges intelligite, erudimini, qui iudi
„ catis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei
„ cum tremore, apprænendite diſciplinā, ne quando
„ iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.

Ad hoc ſingulari ritu ab Eccleſia inſtituto, omnia
perficiuntur, dum vnguntur & conſecrantur Chriſtia
ni Principes, quæ quidem vnctio, vti differt ab vnctio
ne Principum Eccleſiaſticorum & Sacerdotum, ſic
differentem in ſe habet poteſtatis executionem: Prin
ceps nanque tem poralis vngitur in humeris, Princeps
vero Eccleſiaſticus in capite. quia Imperium eius fa-

ctum est super humerum eius. quemadmodum vnctus est ab Elia Rex Asa super Syriam, & Iehu super Israel, sic Saul, Dauid, & alij 3. Reg. c. 19. 1. Reg. 9. & 10, & 16.

Hæc porrò vnctio licet diuersa in corporis parte fiat, quia tamen vnctio est, æque ad illius mysterium in Ecclesia Dei propagandum, serioque perficiendũ, adstringitur Princeps secularis atq; sacerdos; hoc solum discrimine, quod huius est proprium munus, illius vero in partem adiutorij, quare sicut nemo dicet Sacerdotem legis nouæ, non graue nefas magnũq; piaculum committere si vnctionis suæ immemor, eãdem vel mortalis peccati reatu, vel fæda mulierum commixtione, aut alio quo vis Sacrilegio contaminet, sic non minus iram Dei, in se prouocabit Princeps temporalis, si muneris debitiq; sui officij curam oblitus, diuinitus sibi in partem sollicitudinis Ecclesiasticæ potestatem concessam, vel conniuentia, vel negligentia secum computrescere sinat, cum non solum ad hoc ad scitus est, sed etiam iure iurando se se ad id faciendum adstrinxerit. Cuius iuramenti formam hic ascribere liceat, ut omnes intelligant, quanta sit dignitas & maiestas Principum secularium, si bene & religiosè suo satisfecerint muneri, religioniq; catholicæ quam vt per se ritè & Sanctè ad finem vitæ tenere, sic quoque in subditis suis colere, & obseruare iurarunt, strenui fuerint propugnatores: ex aduerso quanta illis supplitia, cruciatus & mille tormentorum genera permaneant.

Forma iuramenti habetur in Clem: c: vnico §. porro, de iureiurando, quæ sequitur & est talis.

Ego N. Romanorum annuente Domino futurus Imperator (vel rex vel Princeps) promitto, spondeo, & polliceor, atq; iuro coram Dto, & Beato Petro, me

de

de cætero protectorem, procuratorem & deffẽsorem fore Summi Pontificis, & huius Sanctæ Romanę Ecclesiæ, in omnibus necessitatibus & vtilitatibus suis custodiendo, & conseruando possessiones, honores, et iura eius, quantum diuino suffultus adiutorio fuero, secundum scire & posse meum, recta & pura fide & hæc Sancta Dei Euangelia. prętera omnem hæresim scisma & hęreticos quoslibet fautores, & receptatores, & defensores ipsorum ex terminabo pro posse, ac nunquam, cum Saraceno, Pagano, Scysmatico, seu alio quomodo libet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesię inimico, uel rebelli seu eidem manifeste suspecto, communicabo & c.

CAPVT SEPTIMVM.

An Princeps possit esse Hæreticus.

HVIVS quęstionis solutio, facile ex præcedenti capite habebitur, vbi principem terræ pium, & religiosum debere esse, necessario probauimus, nec enim fieri potest, vt vtrunq; contrariorum simul & semel de eodẽ verificari possit, præcipue in ijs quæ nullum contrarium admittunt, vt est fides catholica, quæ nullius factionis labe commiscetur, nulliusq; alterius amori coniungitur, neque vllis annorum ætatibus cõtrahitur, quoniã tota pulchra est, & macula nõ est ĩ ea, est paradisus magni opificis, ciuitas magni regis, sponsa, & ĩmaculata Christi virgo casta, soli vni Deo ĩ fide despõsata illustris & promicãs velut matutinus aer, ac aurora pulchra vt luna, electa vt sol, vt describit ecclesiã sanctus Epiphanius lib. 3. contrà hæreses. Vnde cũ eadem sit contrariorum disciplina, si verum est prin-

cipem catholicæ religionis addictum esse debere, falsum erit quod hæresum falsorumq; dogmatum assertor, atque defensor esse queat, dum enim huic. i. hæresi adhæret, alteri. s. fidei catholicæ inimicus efficietur, nec enim Deus arbitrarius est, vt nunc pro tempore huic, altero alteri, sicq; simul huic, & illi plene & perfecte consentire possit. in religione enim non datur medium, vel enim quis christianus debet esse, vel cõtrarius Christo, & religioni, quod ipsa saluatoris nostri confirmat assertio Lucæ. 11. Qui non colligit me cum disperget, & qui non est mecum contra me est, neque Christus Deus admittit in veneratione, & cultu suæ maiestatis socium, vel æqualem, honorem. n. inquit (Esaiæ 42.) alteri non dabo, & scriptum est, Matthei. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & soli Deo omnis honor & gloria in secula seculorum amen. prima Timot. i. Ipsa porrò potestas & imperium, quod principes, & reges in prouinciis suis exercent, longeq; dominantur, etsi inficias ire non possim (cum eadem à solo Deo sit, vt infra c. 13 probabimus) quin plures hoc tempore, præcipuè in Germania, Belgica, Holandia, Hassia, &c. qui minus religionum fideique regulis, iuxta prædecessorum instituta obsequentes, sed omni vento religionumque varietate exagitati, hoc quod principale est, & vel ex successione, vel populi electione, aut communis patriæ consuetudine accessit, non secundum Dei beneplacitum, sed in illorum pœnam & populi castigationem abutantur, non tamen credendum est, illorum regum directiones, principumq; talium dominationes, ex illa parte qua hæretici sunt, populisque & nationibus per hæresum feminationes præsunt, iusta veraque esse dominia, eaq; legitimo, vel successionis vel electionis, aut patriæ consuetudinis ordine, modoq;

doq; ſibi vendicaſſe, cum prędeceſſorum ſuorum aliud veſtigia redoleant, electioq; Dei nutu facta non ſit, nec patriæ mores olim idem ſenſerũt. leges enim quibus ex conſuetudine recepta, vel ex lege regni, qua proximi ad ſucceſſionem vocantur, intelligendæ ſunt, de perſona habili, ſeu idonea, inhabiles enim pro mortuis ſeu non exiſtentibus haberi conſueuerunt l.i.§.& ſi patronus.ff.de coniungen.cum emancipato.liberis eius, l. ſi neceſſe §.deportatus.ff.de bonis libert. Vnde ob incapacitatem, ſiue perſonæ indignitatem, ſucceſſionis iure ceſſante, alios idoneos & dignos vocandos eſſe, ipſa ratio boni & regni vtilitas ſuadet, non enim præiudicant alijs ex hoc, quod a fide defecerunt, cum eorum delicta perſonalia ſint, propriosque authores non tranſgrediantur. Vnde illis excluſis alii recipiendi ſunt, quia regna non ſunt conſtituta, propter reges, ſed potius reges ob regna.

Quod ſi ſubditi neque reipub. vtilitati, conſulere velint, neque quid officij ſui ratio expoſtulat animad vertere nulla commiſeratione digni ſunt, iuſtoque illis iuditio accidit, quod ab hæretico Principe, opprimantur, & regantur, ex quo ſimul & patientes, & facientes dignas pænas luunt.

Deus omnipotens ſic quandoque de inimicis ſuis ſe ſe vlciſcitur, neque ideo tales principes Deo magis probati ſunt, ſed eo ſolum fit, vt manifeſta fiat in illis ſapientia Dei, quæ ex malis (quoruſſi ipſe cauſa non eſt,) bonum colligit, ex dæmonibus, tortoribus, bellis, & rebellibus, alijsque pęnis ſibi emendatos homines facit: oſtendatq; quantum interſit ſubiici Deo & ſubijci hominibus, ideo permittit Deus, in eos dominari flagella tyrannorum, & principes hæreticos, qui quamuis bonum operentur, & vindictam Dei exerceant in populum, tamen non ea intentione agunt,

quod

quod ipsi inde meliores fiant, sed potius ideo hoc Deus permittit, vt suæ cupiditati, & inani religioni satisfaciant: necesse est enim quod scandala fiant, væ autem homini illi, per quem scandala veniunt Matth. 18. sic Paulus necesse est hæreses esse &c.

Hanc diram seruitutem principium hæreticorum, olim cominatus fuit Samuel populo Israelitico, qui relicto Deo suo sibi fieri regem petiit hæreticū, primo
„ Reg. 12. mementote (inquit) quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum, & clamauerunt patres vestri ad
„ Dominum, & misit Dominus Moysen & Aaron, &
„ eduxit patres vestros de Aegypto, & collocauit eos
„ in loco hoc, qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradi-
„ dit eos in manu Sisaræ magistri militiæ regis Hasor,
„ & in manu Philistinorum, & in manu regis Moab, &
„ pugnauerunt aduersus eos, sic Iosuæ prædicens populo mala ob ingratitudinē erga Deum, ait cap. 24.
„ non poteritis seruire Domino, Deus enim Sanctus
„ & fortis æmulator, nec ignoscet sceleribus vestris, at-
„ que peccatis, si dimiseritis Dominum & seruieritis
„ Dijs alienis, conuertet se, atque affliget vos, atq; sub
„ uertet, post quam vobis præstiterit bona, & per Esaiam prophetam minatur Dominus c. 13. quod daturus sit eis regem sceleratum dabo eis regem in furore meo: in pœnam vtique populorum dantur reges, qui tunc absoluta tantum potestate vtantur.

Sanctus Augustinus contra faustum Manic. lib. 22 c. 75. non enim semper inquit Princeps populi, & ecclesiæ Iudex, per Dei arbitrium datur sed vt merita nostra deposcunt, si mali sint actus nostri, & operemur malignum in conspectu Domini, dantur nobis Principes secundum cor nostrum, & hoc tibi de scripturis probabo, audi namq; quid Dominus dixit, fecerunt sibi regem & non per me, Principem & non per

Consilium

Consiliũ meũ. Oseæ 8. & hoc dictum videtur de Saule illo, quẽ vtiq; Deus, elegit, & regem fieri iussit, sed quia non secundum voluntatem Dei, sed secundũ peccantis populi debitum, fuit electus, ideo negat eũ, cum sua voluntate, & consilio constitutum: tale ergo aliquid intelligamus in Ecclesiis fieri, quod pro meritis populi, aut in uerbo, & opere potens, Deo, tribuitur rector Ecclesiæ, aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famem, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbũ Dei: nec approbat Deus omnem potestatem, malã inquam, sed permittit, sic permittit & facit regnare hypocritam super populum, propter proteruitatem eius puniendam vel vindicandam.

Sicut ergo singulare donum est Dei, habere regem fidei & religionis nostræ, atque secundum Dei voluntatem, ita maximum est uindictæ & indignationis argumentum, super populo & prouintiis, constitui Regem alienæ fidei, & religionis, tantumque abest, quod tales veri principes dicantur, quorum singularis antea in Deum, & Religionem Catholicam extitit fides, & industria, ipsiusq; propagandæ studium feruens, vt eorum etiam successores, quandoquidem ipsi non in vijs patrum suorum antiquorũ perstiterũt, solo titulo principis nudoque nomine contenti esse debeant, grauissimasque deinde ob immutatam fidẽ pœnas luant.

Ad quod conuincendum vnicum solum sufficiet exemplum. in Iora, qui fuit filius Iosaphat regis in Iuda pientissimi simul, ac fœlicissimi, sic enim de Iosaphat loquitur sacra scriptura, 2. paralip. c. 17. Factæ
„ sunt ei diuitiæ infinitę, & multa gloria, itaque factus
„ est pauor Domini supra omnia regna terrarum, quæ

erant

„ erant per gyrum Iudę, nec audebant bellare contra
„ Iosaphat, sed & Philistæi munera Iosadhat deferebãt
„ & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pe-
„ cora arietum septem millia, & hircos totidem. Cre-
„ uit ergo Iosaphat, & magnificauit in Iuda domos ad
„ instar thurrium, vrbesq; muratas & multa opera pa-
„ trauit (& mox) fuit ergo Iosaphat diues & inclytus
multum. Huic successit in regno filius Ioram, qui ob
litus patris sui regnique administrationis, in fide & re
ligione vera, regnandi cupidus, fratres suos occidit, at
que spreta religione parentum suorum coluit idola,
sibiq; titulo principis confisus, fornicari fecit Iuda, &
habitatores Ierusalem, idcirco uidentes hæc desciue
runt ab ipsius obedientia idumei, & alij, qui tributũ
patri ipsius pendebantur allataeq; sunt ei literæ ab E-
lia propheta, secundo Paralipic. 21. in quibus scriptũ
„ erat: hæc dicit Dominus, Deus Dauid patris sui, quo
„ niam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in
„ Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, &
„ fornicari fecisti Iudam & habitatores Ierusalem, imi
„ tatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres
„ tuos & domum patris tui meliores te occidisti, ecce
„ Dominus percutiet te, plaga magna cũ populo tuo,
„ & filijs & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua,
„ tu autem ægrotabis, pessimo languore uteri tui, do-
„ nec egrediantur vitalia tua per singulos dies. Quæ
omnia iuxta continentiam literarum facta sunt vt le-
gitur in 2. paralippic. 22.

Hæc cum ità sint, tantaque labes sit & hostis hære
sis, omni cura & sollicitudine agendum est, vt in po-
pulo rex, & Princeps fiat, qui prædecessorum suorum
que maiorum exemplis insistens, Deum recte riteque
colat, alioq; idipsum facere conetur.

Compertum est etiam ipsam hæresin eo mod

quoo,

quo regnum aliquod, Principes inuadere parat, & fũ damenta ueræ religionis deiicire, atq; conuellere, po tissimum in illis regnis, quæ Christiana, & vera religione sunt firmata, tantoq; modestius id aggreditur, quanto cautius virus suum sub boni specie virtutum que colore venditat; sic gradibus quibusdam ad per niciem suam properauit Iulianus, qui relicta in primis eiurataq; clam fide Catholica, aliquandiù dehinc se bonum Christianum simulauit, postea vero cum plu res hinc inde de religione orirentur discordiæ, cum plebe simul Episcopos adhortabatur, vt discordiis ciuilibus consopitis, quisq; suæ, quam vellet vacaret religioni, vt author est S. Hieronymus ad Nepotianum. & S. Augustinus 2. lib. contra Petil. c. 92. quam impietatem adeo detestatus est Iouinianus, quod etiam Iuliani vita iam defuncti, exercitui se Imperatorem salutanti dixerit, vt refert Theodoreth. lib. 4. c. 1. non possum cum sim Christianus Iuliani exercitum regere qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus fuit, omnibusq; Ecclesiæ hostibus fauit, nec ante Imperii onus susceperit, quam milites professi fuerint, se quoque Christianam Religionem colere. Quod si is indecens, & nefas esse duxit, quod Imperator Christianus iis militibus præsit, qui vel Christiani non essent, vel quovis modo à Christi vexillis defeciissent (maxime nanq; debet esse inter caput & membra similitudo), quanto magis indecorum, & inimicum erit Christianę reipub., clauum huic committere, quem hæreticum nouit certissimumq; amittendæ fidei periculum.

Eodem etiam iure diuino, quo olim præcipieabatur Israelitis, ne alium, quam ex sua familia regni gubernaculo præficeret, imperatur & nunc catholicis omnibus, vt non nisi Catholicis Principibus obedi-

Moloch Ammonitarum, quibus duobus fana construxit, quamobrem Deus illi apparens sic dixit; quia
„ habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meũ
„ & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scin
„ dam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.

Ioas constitutus Rex à Ioiada quam diuis vixit, religiosè, & fęliciter imperauit, templum enim Dei quod non modo direptum, sed etiam destructum erat ab Athalia filioque ipsius Ochiozia, vt ornarent templum Baal, reparauit, & omni decorum genere nobilitauit. Verum defuncto Ioiada, acquieuit impiis principum Iudæ persuasionibus ac templum Dei deseruit, seruiuitq; Diis alienis, & cum Zacharias Iaiadæ pontificis filius, ob id illum cęteroſq; increparet, consensit vt occideretur, vnde post annum cõtigit, quod Syri profligatis Iudeis Hierusalem totam diriperent, & ignominiosè regem tractatum dimitterent, multis languoribus excruciatum qui mox a suis interfectus est. 2. Paralip. 22.

Sic Amasias filius Ioas a principio synceræ pietatis cultor extitit, 2. Paralip. 23. Idumeos profligauit, ac prædam plurimam retulit, sed mox idola eorumdem colens turpiter fusus est à Ioas rege Israel: Manasses pessimus initio regni sui, templa aras & idola falsis Diis exstruxit, quorum omnium tandem pœnitẽs pœnitentiam egit, veniamque impetrando à Deo in regnum restitutus est, 2. Paralip. 22. sic igitur cunctis sacrorum librorum voluminibus examinatis, apparebit, pios & religiosos constantesq; principes plurima abundasse fælicitate omnem populum in perpetua pace confloruisse: e contra vero accidisse malis & hæretiris principibus, nec immerito, non enim aliud est exẽplum regis atque pastoris inter greges, cuius prouida prudentia oues confirmat, imprudentia destruit

& dispergit, vtique grex sequitur pastorem illi confidēs, sic vitam religionemq; principis populus, ob id hodie plurimos videmus, ad principis religionē aut suam mutare, aut confirmare etiam subditos, & quāuis ipsi subditi non immunes fiant à iuditio æterno, eo quod ad arbitrium principis mali, religionem suā immutent, tamē grauiora subituri sunt principes supplitia, eò quod requirentur oues ab ipsis, quę eorum praua & pestifera religione perierunt.

Ad hęc plurimum nocentes sibi subditisq; suis, maximam in religionem Christianam committant blasphemiam iurisq; iurandi irrumpentes vinculum, turpissime ad ea resiliunt, quæ ante in sacro baptismatis sacramento abnegarunt, nam sic olim obseruari solitum est, & in hodiernum vsque diem, vt quamprimū reges, alienæ gentes ethnicæ, Christianæ alioqui verè Catholicæ religioni se se dedere volunt, eamq; amplecti desiderant, quod abiuratis illorum opinionibus falsisque dogmatibus, sacro baptismatis sacramento perlustrentur, Deoque penitus reconciliati, ecclesiæ Christi incorporentur, certissimo sic futuri hæredes regni celestis, & cohæredes ipsius Christi; promittendo insuper sancteq; iurando, quod sathanæ & pompis illius nunquam in posterum, nullive prædictorum errorum, aut alii quouis modo catholicæ fidei aduersanti opinioni adhærere velint, imperioq; cuiuscumque ciuilis principis parere, atque suis imperare velle in tantum, in quantum fides id catholica patiatur & permittat.

In hoc similive processu aliud (siue tacite, siue expresse id fiat) non agi certum est, quam pactum & fœdus & iusiurandum, cum in omnibus contractibus id quod tacite fit etiam pro expresso habere soleat, leg. cum quid mutuum. ff. de reb. creditis, ipsiusq; contra

ctus substantiam ingrediatur, atque de essentia illius sit, adeo quod ipso sublato, contractus inualidus censeatur, illudq; pactum, omniaque illa, quæ in, & circa illud pactum concurrunt necessario obseruari debeant, non secus, atque si expressis distinctisq; verbis idipsum expressum fuisset; profecto nullo iure, nulla ve lege se se principes ab eiusmodi iuramento expedire possunt, quantumuis id legitimè se facere posse præsumãt, dum non hominibus obstricti sunt, sed sũmæ & indiuiduæ sanctissimæq; trinitati obligati manent, in cuius rei signum sanctissimæ Christi Crucis signo signati, atque perpetuo charactere desuper confirmati sunt, quod quo ad uixerint, non solum fidem illam religionemq; catholicam pro sua persona, sed etiam apud omnes sibi subditos, omnibusque in suis prouinciis exercere colere & sancte illibateq; obseruare velint, prout in superius descripta iuramenti formula patuit.

Neque quisquam talium Principum, ad tantam dignitatem promotus fuisset, neque ad principatus fastigium perueniisset, quantumuis id sibi vel ex patrio sanguine, vel iure successionis competere clamitent, nisi propositis certis quibusdam conditionibus iisq; ab ipsis iuratis, quod scilicet fidem catholicam & ecclesiasticam disciplinam pro posse suo defendere, nihilq; vnquam quouis modo contra eandem, sedemq; apostolicã cogitare aut moliri velint, alioqui, si aliter factum fuerit, ipsorum potestate, regioq; suo sceptro ipso iure factoq; priuatos esse, atq; pro priuatis declarari debere.

Vanum ergo est eorum, qui se de principatus culmine iactitant elogium, quãdo illud, quod illius principatus basis est & fundamentum, ratioq; vera adipiscendi eiusmodi principatus, è regno suo longè lateq;

teq; amandarunt, proinde mirari non debent, si infaustos infeliceſq; ſeſe quandoq; offendunt. Non ſolùm enim graue peccatum eſt, quòd ſe Dei munere gratiaq; diuina, qualis eſt omnis poteſtas, indignos reddunt; ſed etiam grauiſſimum ſcelus committunt, in eo, quod ſe turpiter ad id muneris uel ingerunt, vel ſimulatè appetere audent, cùm etiam maledictus ſit ille, qui ſe in minori Dei negotio, opereq; diuino negligenter occupat. Quarè in ſignum tantæ tamq; gradis præſumptionis, eiuſmodi ſæpe Principes iuſtiſſimæ Dei vltionis, non ſolum in ſe ipſis, ſed etiam in populo ſibi taliter commiſſo, executores fiunt; Cui rei etiamſi humilioris ſtatus & dignitatis perſona ſufficere poſſit, vult tamen illos uiciſſim Deus in tantũ hic humiliare, in quantum ſeſe illi contumelioſe libi dinoſèq; exaltauerunt.

CAP. OCTAVVM.

An Princeps partim Catholicus, partim Hæreticus eſſe poſſit.

QVantum infelicitatis & miſeriæ Deus omnipotens intulit iſtis regibus & principibus, qui figmentis virtutum non ipſis officiis, fallacia nõ veritate; fraudibus non fide, ditiones ſuas & imperia adaugere ſperabant, prolixiores forte erimus, quàm inſtitutum noſtrum patitur; Patebunt hæc omnia legentibus hiſtorias illorum regum, & Imperatorum, qui non ſolum à Fide, Deiq. vnius & veri cognitione exularunt; ſed Deorum falſorum cultores extiterũt, ementitæq; probitatis ſimulatores, ita vt naturalem vitæ curſum non attigerunt; nec peruenire potuerunt,

runt, quò alioqui ſuo curſu peruenisſent, quod bonis & Catholicis Regibus haud accidit: licet enim quandoq; Deus vt eſt in Sacris litteris ſimulatores regnare ſinat ob ſimilia populi vitia, vt pari ſcilicet pœna referatur, atq; in quo vitioſi ante delectati fuerint, iure in eis caſtigetur, vbi tamen exigit eadem iuſtitia, ibi diuinæ vltionis gladius exeritur, ac ſceleſtis regibus vita perimitur. & quod eſt omnium iucundiſſimum, omniumq; iucunditatum caput amittũt, quando venenata immeriti principatus & gubernationis appetitione illecti, fideiq; ,ac religionis ſpecie obumbrati, in aliorum iacturam, ipſisq; in dominationem dãnabilem (quod minimè facere debuerunt) adipiſci & potiri voluerunt, atq; ita cuncti cognoſcant iuſtitiæ ſemitis veræq; ac ſinceræ religionis, virtutumq; aliarum baſi, & non ruinoſę nequitiæ, & ſimulationis tectoriis inſiſtendum. Quis enim eſt mortalium, qui ſi Romanorum facta geſtaq; perſcrutatur, non reperiat, quàm dirum funeſtumq; vitæ huius caſum ſubierunt, dum enim Pompeius Cæſar, & Craſſus, quorum alter rerum geſtarum magnitudine, alter animi præſtantia, alter denique diuitiis potens regni gubernacula gerere, ſoliq; aliis omnibus excluſis ſuſtinere conſpirarunt, alter victus à Parthis interiit. Pompeius vero, à Cęſare profligatus, & is in vbe. 23. vulneribus eſt confoſſus, atq; ad ſtatuam Pompeus, contra quam debaccabatur, collidens, ipſam ſanguine reſpoſit.

Non minus ſtupendum eſt quod contigit Claudio ut idem ſententie: cap. x. & xi. ſcribit, qui vbi maximum virtutis cuiuslibet ſpecimem edidit, imperiũq; quod proſperè, fæliciterq; auſpicatus erat, poſt Caligulam coactus in ſe recipere debuit, abiecta fraude, nulli non ſceleri manus dedit. Neq; Neroni, qui

huic

huic in imperio succesſit falicior exitus fuit, teſte eodem Suet. cap. ix. & x. plurimum eleemoſinæ liberalitati, & comitati exhibendæ ſtuduit, ſummamq; ſemper pietatem, ſuperiorum exemplo ſimulauit, donec quinquennio exacto, iuſtas ſimulationis, doliq; exerciti pænas dedit; cui poſt Galba interiecto, cuius poſt ceruices caput reſciſum pilaq; affixum, per vrbem delatum ſcribunt. Otto ſucceſſit, imperiiq; faſces ſuſcepit, hic vt inquit Dion. leni ſermone, multaq; ſimulata modeſtia iudicare ſolebat, milleq; modis ſeſe inſinuare populo, pacem cũctis promittere, ſæpe in ſenatum venire, populumq; congregare, dãnatis pænas relaxare, cæterosq; muneribus proſequi. Nihilominus quia falſo ſubdolequè iſthæc omnia cogitabat, aliquot poſt diebus, ob deſperatam in bello victoriam pugione ſibi uitam eripuit.

Eadem ſorte vſus Marcus Antonius, Octauius, Tiberius, Caius, Vitellius, Veſpaſianus, aliiq; omnes perierunt. Hic finis ait Sueton. & Plutarc. eorum qui prætextu pietatis, ac iuſtitiæ Rempub. inuaſerunt:

Nec mirum hoc videri debet, alienis à vera religione, ſed nunquid felicius actum eſt cum illis, qui minus à germana pietate aberrarunt, verasque virtutes agnoſcentes, Chriſtum ſe ſequi profeſſi ſunt? ſanè vt ait Paul. ad Rom. primo. Quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt potius creaturæ quam creatori, propterea tradidit illos Deus in pasſiones ignominiæ. (& poſt pauca) & tradidit illos in reprobum ſenſum, vt ſciãt ea, quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, negligentia, dolo, malignitate, odibiles Deo, Ecce quantum referat a fidei lumine deſciuiſſe; veræq; iuſtitiæ fulgorẽ, aut prauo voluntatis affectu, aut ſimulatione luxurioſa obtene

brasse, nam idem crimen est agnitæ veritati vel resistere, vel eidem praua cum opinionũ facie adhærere, quàm nunquam lumen veritatis agnouisse, cuius etsi vtriusq; par sit damnationis reatus, maior tamẽ huic accedet pœnarum cumulus, qui manũ semel ad Aratrum posuit, & retraxit, quam qui nũquam eius iugo colla submisit. S. August: super psalm. & refertur distinc. 4. de pœnit. c. si Iudas. Si Iudas (inquit) tenuisset illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eũ, vel sua præterita vel parentum iniquitas perueniret, quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, redijt iniquitas patrum eius in conspectu Domini, vt in eo etiam ipse puniretur. habet enim illa deordinatio, quam is, qui pluribus a Deo beneficijs spiritualibus donatus est, incurrit, maiorem sibi adnexam grauitatem, propter ingratitudinem, quam non habet is, qui beneficium nullum accepit, tantoq; grauius quisque, qui post accepta beneficia spiritualia ad vomitum redit, punietur, quando benignitate Dei abusus, singulorum beneficiorum dono ingratus extitit de pœnit dist. 4. §. verum dicens.

Ex quo manifestũ euadit, quod Christianus Princeps plus peccat adhærens hæresi, quam infidelis, qui tanta, tamque magna beneficia a Deo non accepit, Quare tam & si gentes Deum ex ijs quæ facta sunt cognouerunt, non sic tamen Deum glorificauerunt, scilicet iuxta fidei illustrationem, & specialis motionẽ gratiæ diuinæ, quę nunquam in ipsas descenderunt,

» sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum
» est insipiens cor eorum, dicentes, se esse sapientes, &
» stulti facti sunt, & mutauerunt gloriam incorrutibi-
» lis Dei in similitudinem imaginis & volucrum, & qua-
» drupedum & serpentum.

Vnde

Vnde Deo etiam magis odibiles redduntur Principes hæretici quã pagani, qui licet vt iam diximus, plures probitatis & virtutum vmbras populo demonſtrarunt, facileq; in virtutibus iſtis moralibus honeſtatem finceramq; religionem effingere potuerunt, iuxta quam ab hominibus pro talibus colerentur: nũquam tamen eò dementiæ prolapſi ſunt, vt in cultu falſorum Deorum aliud quippiã, quod ipſi pro Deo non colerent, venerarentur, quemadmodum pluribus Chriſtianis, alijsq; Principibus ſæpe perſuaſum eſt, quod in vno eoq; vero & ſolo Deo colẽdo, aliud quippiam quod Deus non eſt, neq; Deus dixit, ſed ſimulacrum colere, & venerari poſſint, ſimulque ſtare poſſe autumantes fidem Catholicam & hæreſim, adeoque ſimulatam religionem proficere in populo, quod quam abſurdum ſit & pernicioſum planeq; impoſſibile ex tranſcurſu patebit.

Primo quidem Apoſtolus ad Rom. primo rationem aſſignans, quare gentiles ex ijs quæ viſibilia facta ſunt, ipſum Deum eiusq; diuinitatem, non quemadmodum agnouerunt, ſic glorificauerunt, aut gratias egerunt, ità vt ſint inexcrabiles, dicit, quia iuſtitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit, quæ fides cum ſecundum D. Thom. 22. quæſt. 6. à Deo in nobis efficiatur, interius mentem noſtram mouente per gratiam quantũ ad aſſenſum, fieri non poteſt, vt homo tali motione tactus vlli contrariæ motioni conſentiat, ex hac nam què motione volũtas intellectum noſtrum impellit, adeoq; conuincit ad neceſſario credendum his omnibus, quæ dicuntur de Deo, nec ex vlla naturali voluntatis proprietate homini idipſum accidit, quemadmodum voluerunt pelagiani, quia cum homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, eleuetur ſupra naturam

quod ipsi inde meliores fiant, sed potius ideo hoc Deus permittit, vt suæ cupiditati, & inani religioni satisfaciant: necesse est enim quod scandala fiant, væ autem homini illi, per quem scandala veniunt Matth. 18. sic Paulus necesse est hæreses esse &c.

Hanc diram seruitutem principium hæreticorum, olim cominatus fuit Samuel populo Israelitico, qui relicto Deo suo sibi fieri regem petiit hæreticũ, primo
„ Reg. 12. mementote (inquit) quomodo Iacob ingressus est in Aegyptum, & clamauerunt patres vestri ad
„ Dominum, & misit Dominus Moysen & Aaron, &
„ eduxit patres vestros de Aegypto, & collocauit eos
„ in loco hoc, qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradi-
„ dit eos in manu Sisaræ magistri militiæ regis Hasor,
„ & in manu Philistinorum, & in manu regis Moab, &
„ pugnauerunt aduersus eos, sic Iosuæ prædicens populo mala ob ingratitudinẽ erga Deum, ait cap. 24.
„ non poteritis seruire Domino, Deus enim Sanctus
„ & fortis æmulator, nec ignoscet sceleribus vestris, at-
„ que peccatis, si dimiseritis Dominum & seruieritis
„ Dijs alienis, conuertet se, atque affliget vos, atq; sub
„ uertet, post quam vobis præstiterit bona, & per Esaiam prophetam minatur Dominus c. 13. quod daturus sit eis regem sceleratum dabo eis regem in furore meo: in pœnam vtique populorum dantur reges, qui tunc absoluta tantum potestate vtantur.

Sanctus Augustinus contra faustum Manic. lib. 22 c. 75. non enim semper inquit Princeps populi, & ecclesiæ Iudex, per Dei arbitrium datur sed vt merita nostra deposcunt, si mali sint actus nostri, & operemur malignum in conspectu Domini, dantur nobis Principes secundum cor nostrum, & hoc tibi de scripturis probabo, audi namq; quid Dominus dixit, fecerunt sibi regem & non per me, Principem & non per

Consilium

Consiliũ meũ. Oseæ 8. & hoc dictum videtur de Saule illo, quẽ vtiq; Deus, elegit, & regem fieri iussit, sed quia non secundum voluntatem Dei, sed secundũ peccantis populi debitum, fuit electus, ideo negat eũ, cum sua voluntate, & consilio constitutum. tale ergo aliquid intelligamus in Ecclesiis fieri, quod pro meritis populi, aut in uerbo, & opere potens, Deo, tribuitur rector Ecclesiæ, aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famem, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbũ Dei: nec approbat Deus omnem potestatem, malã inquam, sed permittit, sic permittit & facit regnare hypocritam super populum, propter proteruitatem eius puniendam vel vindicandam.

Sicut ergo singulare donum est Dei, habere regem fidei & religionis nostræ, atque secundum Dei voluntatem, ita maximum est uindictæ & indignationis argumentum, super populo & prouintiis, constitui Regem alienæ fidei, & religionis, tantumque abest, quod tales veri principes dicantur, quorum singularis antea in Deum, & Religionem Catholicam extitit fides, & industria, ipsiusq; propagandæ studium feruens, vt eorum etiam successores, quandoquidem ipsi non in vijs patrum suorum antiquorũ perstiterũt, solo titulo principis nudoque nomine contenti esse debeant, grauissimasque deinde ob immutatam fidẽ pœnas luant.

Ad quod conuincendum vnicum solum sufficiet exemplum. in Iora, qui fuit filius Iosaphat regis in Iuda pientissimi simul, ac fœlicissimi, sic enim de Iosaphat loquitur sacra scriptura, 2. paralip. c. 17. Factæ
„ sunt ei diuitiæ infinitę, & multa gloria, itaque factus
„ est pauor Domini supra omnia regna terrarum, quæ

erant

„ erant per gyrum Iudę, nec audebant bellare contra
„ Iosaphat, sed & Philistæi munera Iosadhat deferebāt
„ & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pe-
„ cora arietum septem millia, & hircos totidem. Cre-
„ uit ergo Iosaphat, & magnificauit in Iuda domos ad
„ instar thurrium, vrbesq; muratas & multa opera pa-
„ trauit (& mox) fuit ergo Iosaphat diues & inclytus
multum. Huic successit in regno filius Ioram, qui ob
litus patris sui regnique administrationis, in fide & re
ligione vera, regnandi cupidus, fratres suos occidit, at
que spreta religione parentum suorum coluit idola,
sibiq; titulo principis confisus, fornicati fecit Iuda, &
habitatores Ierusalem, idcirco uidentes hæc desciue
runt ab ipsius obedientia idumei, & alij, qui tributū
patri ipsius pendebantur allatæq; sunt ei literæ ab E-
lia propheta, secundo Paralipic. 21. in quibus scriptū
„ erat: hæc dicit Dominus, Deus Dauid patris sui, quo
„ niam non ambulasti in vijs Iosaphat patris tui, & in
„ Asa regis Iuda, sed incessisti per iter regum Israel, &
„ fornicari fecisti Iudam & habitatores Ierusalem, imi
„ tatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres
„ tuos & domum patris tui meliores te occidisti, ecce
„ Dominus percutiet te, plaga magna cū populo tuo,
„ & filijs & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua,
„ tu autem ægrotabis, pessimo languore vteri tui, do-
„ nec egrediantur vitalia tua per singulos dies. Quæ
omnia iuxta continentiam literarum facta sunt vt le-
gitur in 2. paralippic. 22.

Hæc cum ità sint, tantaque labes sit & hostis hære
sis, omni cura & sollicitudine agendum est, vt in po-
pulo rex, & Princeps fiat, qui prædecessorum suorum
que maiorum exemplis insistens, Deum recte riteque
colat, alioq; idipsum facere conetur.

Compertum est etiam ipsam hæresin eo mod

quoo,

quo regnum aliquod, Principes inuadere parat, & fũ damenta ueræ religionis deiicire, atq; conuellere, po tissimum in illis regnis, quæ Christiana, & vera religione sunt firmata, tantoq; modestius id aggreditur, quanto cautius virus suum sub boni specie virtutum que colore venditat; sic gradibus quibusdam ad per niciem suam properauit Iulianus, qui relicta in primis eiurataq; clam fide Catholica, aliquandiù dehinc se bonum Christianum simulauit, postea vero cum plu res hinc inde de religione orirentur discordiæ, cum plebe simul Episcopos adhortabatur, vt discordiis ci uilibus consopitis, quisq; suæ, quam vellet vacaret religioni, vt author est S. Hieronymus ad Nepotia num. & S. Augustinus 2. lib. contra Petil. c. 92. quam impietatem adeo detestatus est Iouinianus, quod e tiam Iuliani vita iam defuncti, exercitui se Imperato rem salutanti dixerit, vt refert Theodoreth. lib. 4. c. 1. non possum cum sim Christianus Iuliani exercitum regere qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus fuit, omnibusq; Ecclesiæ hostibus fauit, nec ante Im perii onus susceperit, quam milites professi fuerint, se quoque Christianam Religionem colere. Quod si is indecens, & nefas esse duxit, quod Imperator Chri stianus iis militibus præsit, qui vel Christiani non es sent, vel quovis modo à Christi vexillis defeciſſent (maxime nanq; debet esse inter caput & membra si militudo), quanto magis indecorum, & inimicum erit Christianę reipub., clauum huic committere, quem hæreticum nouit certissimumq; amittendæ fi dei periculum.

Eodem etiam iure diuino, quo olim præcipieaba tur Israelitis, ne alium, quam ex sua familia regni gu bernaculo præficeret, imperatur & nunc catholicis omnibus, vt non nisi Catholicis Principibus obedi-

ant iustissimoque illorum iugo colla prebeant, quomodo enim caput corporis constituetur, qui membrum corporis non est, aut si fuit, esse desiit? aut quæ conuentio luci ad tenebras, aut Christo cum Balial? nec satis est, aliquem se Christianum nominare, cum sit hoc nomen valdè generale, omniumq; hæresum greges sub hoc lateant, ad maioremq; ipsorum confusionem Christi charactere insigniti permaneant, sed insuper necesse est, quod Catholicum se profitea tur, perpetuoque illi firmiter adhæreat, quam primum vero à Christi castris, catholicorumq; cætu se alio proripuerit, obstinatoque animo contra illum senserit, re ipsa, viuum Christi membrum esse desinit, confirmat hoc S. Hieronymus in Dialog: contra Lucifer: sicubi audieris inquit eos qui dicuntur Chri sti non à Domino Iesu Christo, sed à quoquam alio nuncupati, vtpote Martionitas, valentinianos, Mon tenses siuè campitas, scito non Ecclesiam Christi sed antichristi esse Synagogam. Remouendus & is est à Reipub. gubernatione, qui cum Catholica doctri na institutus fuit, deinceps ab eadem turpiter defecit, quemadmodũ ille à fascibus Regni arcendus est, qui hæretica prauitate infectus, animũ pollutũ habet, aliisq; venenum suum propinare cogitat, tanti enim communis salutis interest, Regem Christianum & Catholicum habere, vt neq; infidelis fidelib. præfici, neque apostata Fidelium Princeps manere debeat.

Voluit hoc quondam D. Paulus 1. Corinth. 6. atque serio corinthiis inhibendo præcepit, ne aliquis eorum negotium habens aduersus alterum, apud iniquos iudicari audeat, qui licet tunc nullam acceperat potestatem in principes gentiles, aut iurisdictionem, attamẽ secũdum eam quam habebat à Deo pro munere suo, corinthios à gentilium & iniquorum con

sortio

sortio longius ab esse duxit, quod si Paulus tunc ciues Christi à foro & curia gentilium abstinere voluit, quanto magis nunc prouincias regnaque ab hæretico rum principibus sibi cauenda censebit, qui eadem nunc potestate, qua tunc vtebatur (si in viuis esset) & hæreticum imperatorem intra catholicos iudicandi munere vtentem videret, vteretur, prohiberetq; ne catholici sibi præficerent virum de fide male sentientem, & catholicæ religionis desertorem, aut obfirmato animo impiæ doctrinę adhærentem, regnare paterentur. si enim hæretico nec Aue dicere licet, vt inquit Ioannes, qui enim dicit Aue, iam communicat operibus eius malignis, sane sine grauissimo scelere non licebit illum in principem assumere, aut obedientiam præstare.

Euenta miserabilesque casus principum demonstrant, quantum reipub. ipsis regnorum, & prouinciarum statibus exitium immineat, si principatum hunc suum quo ipsos dignatus est Deus, singulari sua prouidentia & clementia, moribus suis corruptis uel fide ficta & deprauata corrumpant, quantumque felicius fiat, si maiorum suorum religioni, pietati & deuotioni adhærentes, principatum hunc non ex sanguine suorum sibi competentem, sed pro virtutum actione,, & in Deum præstanti animi religione æstiment.

Legitur de Salomone quanta fælicitate fruitus sit post quam quæ ad magnificentiam splendoremque domus Dei pertinebant exegisset, ita quod nunquam similem felicitatis statum nacti fuerint hæbrei, vt est 3. Regum. c. 11. cuius tamen fælicitatis ruinam accepit ipso Salomone regnante, posteaquam vt ait scri-
„ ptura, Copulatus est mulieribus alienigenis, quæ cor
„ illius auerterunt, vt sequeretur Deos alienos Astartē
„ Deam Sydoniorum, & Chamos Deum Moabitorū,

Moloch Ammonitarum, quibus duobus fana construxit, quamobrem Deus illi apparens sic dixit; quia
„ habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meũ
„ & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scin
„ dam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.

Ioas constitutus Rex à Ioiada quam diuis vixit, religiosè, & fęliciter imperauit, templum enim Dei quod non modo direptum, sed etiam destructum erat ab Athalia filioque ipsius Ochiozia, vt ornarent templum Baal, reparauit, & omni decorum genere nobilitauit. Verum defuncto Ioiada, acquieuit impiis principum Iudæ persuasionibus ac templum Dei deseruit, seruiuitq; Diis alienis, & cum Zacharias Iaiadæ pontificis filius, ob id illum cęteroſq; increparet, consensit vt occideretur, vnde post annum cõtigit, quod Syri profligatis Iudeis Hierusalem totam diriperent, & ignominiosè regem tractatum dimitterent, multis languoribus excruciatum qui mox a suis interfectus est. 2. Paralip. 22.

Quod poſtea factum legitur 4. Reg. cap. 9. x, ſic Ioas Rex qui licet bonus, tamen propter ſimulationem quod excelſa non abſtulit, a proprijs ſeruis necatus eſt, 4. reg. 12.

Sic valens Imperator hæreticus Arrianus a Procopio Tyranno adeo bellis defatigatus fuit, vt ipſum Imperium teſte Ammiano Marcellino deponere cogitauerit, a Gotthis deniq; victus & combuſtus.

Quid Zeno & Baſiliſcus hæretici Imperatores, qui tantis inter ſe prælijs digladiati ſunt, tandem ille ab iſto eiectus, & necatus, ipſequè mirabiliter perijt. Quid Anaſtaſius hæreticus qui ſe initio catholicum fingens, vt imperio potiretur, Vitalianum oſtem paſſus eſt perpetuum, plurimaq; cunctis eius regionibus damna intulit, idemq; à Scythis Bulgaribusq; variè vexatus, cumq; vidiſſet ex quadā prædictione futurum, vt fulmine interiret, ita ad omnia tonitrua expauit, quod nullam ſibi in cubiculis vitæ conſeruandæ ſpem habuerit, adque profundiſſimas receſſus ſe ſe receperit, vbi poſtmodum humi iacēs mortuus inuentus eſt.

Conſtans hæreticus, qui Martinum Papam dolo capere Romæ inſtituit, & ſceleratis fraudibus Catholicos diuexare & occidere hic à Saracenis ſæpè profligatus, diraq; perpeſſus, Theodoſium patrem virū bonum dolo necauit, templa Romę ſacrilege ſpoliauit, cùmq; omnium odia in ſe concitaſſet, eaq; diutiùs ſuſtinere nequiret, diu de abdicando imperio cogitans, in Sicilia dum lauaret, à domeſtico interemptus eſt. Nec melius accidit nepoti eius Iuſtiniano ſecundo qui contra ſanctorum Patrum decreta Concilium aliquando flagitiosè coegit, hic impe-

rio

rio priuatus, nafoq; reſciſſo in cherſoneſem relegatus: cuius duo monachi, quas præpoſitos omnium rerum conſtituit; ſummæ crudelitatis exempla Religionis ac leuitatis, quam falſo habitu mentiebantur, edebant, Stephanus & Theodoſius funibus ad pedes ligatis per urbem pertrahi & in foro comburi iuſſit.

En itaq; quo calliditas hæretica peruadat & quis ſit exitus ſimulatorum, quod fucatæ virtutis premium: & quidem ſic diuinæ iuſtitiæ conuenit, vt qui religionem perdit ab ea cuius eſt cuncta moderari in manus perditorum trahatur, ac delicto ſit æqua & conſentiens pæna. Qua etiam in re adhuc attendenda eſt iuſtitia cæleſtis, quæ hæreticis Regibus, ſimulatoribusquè principibus, eò quod cum vera religione Dei voluerint quoque permittere & diſſimulare idololatriam, hæreſimq; miſcere, contractius tempus regnandi aſignat, quàm quibuslibet alijs, a Chriſtiana pietate alienis, quaſi Deus magis auerſetur hæreticos & religionum ſimulatores, quam cæteros. Quare ipſi & eorum filij miſerrimè ſemper perierunt, quod elegantiſſime & concinne Sanctus
„ Iob. lib. ſuo cap. 20. Hoc ſcio (inquit) à principio
„ ex quo eſt homo poſitus ſuper terram, quod laus im
„ piorum breuis ſit & gaudium hypocritæ adinſtar pũ-
„ cti, ſi aſcenderet vsq; ad cælum ſuperbia eius & ca-
„ put eius, vbi nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in
„ fine perdetur & qui eum viderint, dicent, vbi eſt?
„ (& poſt cap. 36.) ſimulatores & callidi prouocant
„ iram Dei neque clamabunt cum uincti fuerint, mo-
„ rietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum in-
„ ter effeminatas.

que latius ſerpit error principum quanto minus ab omnibus cauetur. Cuiuſmodi latens virus miſere hactenus in Germania depopulatum eſt, multorum ne dum animas, ſed Ciuitates, integras prouincias ad extremum pene redegit, vbi minus cauti homines ſub ſpecie recti virtutisq; & religionis, immanes diuq; ab Eccleſia damnatas hęreſes, & corruptos mores imbiberunt. Quid enim aliud magis ſuaue, & dulce perſuadere potuit humano illi genere ſerpens ille antiquus, dum ſeſe in Angelum lucis transformauit, quam genio ſuo indulgere, ad nutum viuere, leges aſpernari, maiores contemnere, Deo non obſequi, deniq; omnia ad oculum facere? nec quiſquam horũ ſibi occaſione reatum alicuius mali accidere, aut mortem incurrere poſſe exiſtimabit, quia ſpecioſa hæc viſa ſunt in oculis eorum, & dixit Geneſ. 3.

„ Nequaquam moriemini, ſcit enim Deus quod in
„ quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi ve
„ ſtri, & eritis ſemidei. Quis vero non credat tam ſapienti legumlatori, cuius in ore vox Dei nomenq; ſonat? quis lapidem pretioſum ceu vitrum contumelia afficiet, aut cum admixtum fuerit æs ad argentũ, facilè hoc integrè probabit? ſed error ſe ipſum non oſtendit, ne denudatus deprehendatur. Ideo etiam ipſa veritate ſe ipſum veriorẽ exhibere conatur imperitioribus. Quod ex eo etiam deprehenditur, quãdo eò hominum prodijt dementia, vt quidam Dij vocari atq; ab alijs nominari voluerint, nec tamen Dij fuerunt, ſed opera Diaboli, quemadmodum conſtat de Nabuchdonoſore Iudith. 3. Alexandro magno, Domitiano Antiocho: Ideo vero hanc metamorphoſin inuenerũt, quia olim, ſicut & nunc, Principes benè imperantes nomine Dei vocati ſunt, propter miniſterium ſcilicet, quo Dei mandata & leges

exe-

exequebantur, & authoritate eius pro hominibus fungebantur, quia verò plures eadem potestate abu si sunt, idq; quod ad Deum referre debuerunt, & po puli religionisq; Christianæ commodum, ad propriam gloriam & hominum confusionem impende runt, & ita beneficij loco iniuriam posuerunt: ideo regnum ipsorum destructū est, populoq; in scandalum facti sunt Dan. 3. & hoc est quod veterator ille in paradiso molitus est, quando largam illam munificentissimi Dei beneficentiam, qua nostri primi parētes in omni honestæ voluptatis iustiq; imperij vsu constituti fuerunt ipsis in ignominiam perpetuūq; exilium transferre voluit, ex eo, quod illas ad lasciuiam, auaritiam, ambitionem, deiq; contemptum instigauit, vnde illi nimio fastu concitati, cōtra Creatorem & Dominum Iesum arcum posuerunt, Dijq; planè esse voluerunt. Nec in hodiernum vsq; diem plures sic subnectere, idq; vel clarissimis Sacræ scripturæ probationibus efficere desinit, vt quod non aliunde potestas sit, nisi a Deo, & pro ipsis magistratibus deprecari nos monet Apostolus; & per me reges regnant, & iusta legum conditores decernunt: quis vero isthæc vera non existimet? cum etiam legamus ipsis discolis esse obtemperandum, & quia dicitur, Dijs non detrahes?

Verum etsi hęc vera sint, non tamen simpliciter credenda, nam & hæc verissima sunt, quod discolsint, quibus quandoq; parere teneamur, & Caiphas & si iniquus in Deum censor extitit, illo tamen tempore quando officio Dei fungebatur, prophetauit; Accedit, quod potestas in se summi Dei beneficium sit, nec aliunde nisi a patre luminum, à quo omne bonum est, procedat, quemadmodum quælibet res in se bona est, Deoq; optima visa, non obstante quod

illa

illa plerumq; homines male abutantur, vt de vino & alijs clarum eſt, nec quidem effugit hominem ratione præditum quod res & vſus à ſe inuicem diſtinguantur. Ita quod vſus peſſimus quandoq; ſit, res vero optima, ſic quoque & ſi ſuperioritatis gradus a ſolo Deo hominibus conferatur, nunquam tamen omnes eadem vt decet & præceptum à Deo eſt, poteſtate vtuntur, idq; experientia patet, hoc cum ita ſit cui mirum videbitur, ſi ſubinde ſub prætextu alicuius dominationis in maximum cum corporis tum animę ruere diſcrimen contingat, tantoq; grauius id mortalibus accidat, quanto maior libertas Dominorum fuerit, eamq; magis ſibi in perniciem ſubditorum aſſumpſerint?

Nec funeſtiùs accidere potuit Caligolæ Imperatori, qui licet ab initio clemens & popularis piusq; in parentes extitit, mox tamen in tantam furendi licentiam prorupit, vt Sillanum ſocerum ad ſecādas nouacula fauces impulerit, plures ex ſenatoribus interfecerit aliaq; ſeueriora & crudeliora effecerit, teſte Suetonio in eius vita cap. 10. 13. & 14. Quid ſceleratius Domitiano, vt qui primo quinquennio optimus Princeps fuit, ſed eo exacto parricidijs, cædibus & omnis generis ſpurcitijs maculatus extitit? Dio. & Suet. in Nerone cap. 9. & ſeq.? Quid vero crudelitates iſtorum Principum præcenſere iuuat? nonne Amaſis Aegyptiorum Rex, quod ſcribit Diodorus Siculus lib. 2. cum plerosque ex ſuis vltimo ſupplicio affeciſſet, aliasque fortunis ſuis ſpoliaſſet, & in omnes inſolentior & ſuperbior euaſiſſet, aliquantulum in imperio tolleratus, donec Actiſanes Aethiopum Rex, irruptione in eum facta, regno pulſus eſt: & meminit Aimonius lib. 4. de geſtis Francorum cap. 44. quod Childebertus

tus eius nominis secundus Rex Austratiæ filius Clodouæi, postea Rex Franciæ, adeo leuis, & immodestus extiterit, quod multos Francos iniuste oppressserit, vnumq; est illis nobilem nomine Bodilonem ad stipitem tensum valde cædi sine lege iusserit, ob id postea à francis seditione cõtra ipsum facta, vna cum Regina eius, prægnante interemptus.

Quid superbiam commemorem quæ minus Principi conuenit, quam nimia deiectio? vnde principatus nobilis seruitus dicitur. Hi enim pro nobis vigilant & vtiq; rationem pro animabus nostris reddituri. Lucifer ex superbia Cacadæmon factus, Arphaxat Rex Medorum vt docet lib. Iudit. cap. 1. 3. & 14. postquam multas gentes subiugauerat Imperio suo, claramq; illam Ciuitatem Ecbatonis edificauerat, quia vero combinatus fuit in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum, anno xij. regni sui superatus est a Nabuchodonosor, quais etiam victoria elatus supra modum, itaut iusserit per Holofernem omnem orbem subigere, cunctosq; Deos de terra tollere, vt ipse solus Deus diceretur Iudith. 3. postmodum a Iuditha obtruncatus est.

Nec minus malum est principi studere auaritiæ cuius ademptę potestatis regnandi causa, a domo Samuelis illa ponitur primo Reg. cap. 8. Quod
" filij eius non ambulauerunt in vijs patris, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntq; munera &
" peruerterunt iudicium, & scriptum legimus in lib.
" Machabeorum 2. cap. 4. quod Menelaus propter auaritiam eorum qui in potentia erant permanebãt in potestate, crescens in malitia ad insidias Ciuium.

Quid porro ex luxu voluptatibusque profectus? vbi expensæ multæ & inutiles fiunt in superfluum

appara-

apparatum conuiuiorum, & perſonarum? Deus olim poſuit legem Regibus populi ſui. Deut. 17.
„ Cum conſtitutus fuerit (inquit) Rex non multipli-
„ cabit ſibi equos nec reducet populum ſuum in Egy
„ ptum (& poſtea) nec habebit vxores plurimas quæ
„ alliceant animum eius. Quid autem his vitijs fœ-
dius? Quid damnoſius? quibus virtus atteritur, vi
ctoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam con
uertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnã
tur, vt neſcias ab haſtibus nè, an ab illis capi pernicio
ſius habendum ſit.

Auaritia ſummũ malum hominibus intulit, quia nunquam auaritia ſola eſt, ſed eam inſequuntur rapina, periurium, mendacium, proditio, atq; patricidium, quæ nunquã ſine nominis dedecore & prin cipatus tyrannide exercentur, cuius rei exemplum
„ refert Suetonius de Veſpaſiano cap. 16. Sola (in-
„ quit) eſt in quo merito culpetur pecuniæ cupiditas
„ non enim contentus omiſſa Galba vectigalia reuo-
„ caſſe, noua ac grauia addidiſſe, & auxiſſe tributa
„ Prouincijs, nonnullis & duplicaſſe, negatiationes
„ quoq; vel priuato pudendas, propalã exercuit, coe
„ mendo quædam, tantum vt pluris poſtea diſtrahe-
„ ret, nec candidatis quidem honores, Deisq; tam in-
„ noxijs quam nocentibus abſolutiones vendicare cũ
„ ctatus eſt. Creditur etiam procuratorem rapaciſſi-
„ mum quemquè ad ampliora officia ex induſtri ſoli-
„ tus promouere, quo locupletiores mox condemna
„ ret, quibus quidem vulgo dicebatur pro ſpongijs
„ vti: Quod quaſi & ſiccos, madefaceret, & exprin e
„ ret humentes, ſicq; vt auarus vulgo notatus eſt Ve-
„ ſpaſianus.

Et quæ tandem progenies ſuperbiæ? preſumptio hæc in verecundiæ portio eſt, extirpatrix virtutum,

spoliatrix meritorgm, extinguens omne bonum, populatrix totius orbis, indignabunda, furiosa, imperiosa, petulans, excelso & depicto curra similis ducẽtibus peruehitur, promissa & picturata veste, effusa & promissa fucataq; coloribus, cornibus alte promi nentibus, auriculis oblongis, naso repando & simo, naribus in fastidientis modum contractis, spirantibusq; iniurias, & contemptum, labris productis, adunco vultu, elata fronte, excelsis & coniunctis supercilijs, ceruice rigida, humeris in altum sublatis, oculis arduis & minacibus, sed cæcis, cęci enim parentes cæcam progenerant filiam: amor scilicet proprius & ignorantia, qui illam assiduè comitantur. Hinc subuersiones Principum & principatuũ, populorum oppressiones, Ciuitatum subuersiones, pagorum incendia, mulierum & virginum stupra, & religio mala, quæ ex cupiditatibus, pertinacia & reliquorum vitiorum collunione ingenerantur, adeo vt satius videatur carere Principe, quam ob talium principum superbiam, luxum, iram & cupiditatem, tot clades, cædes, populationes, incendia, famem & reliqua misera pati.

Quod olim præmeditate suasit Demosthenes orat. 2. contra Aristogit. sunt (inquit) à nobis repellendi ò Athenienses, & coercendi cùm omnes legũ violatores, tùm vero in primis ij, qui magistratu funguntur, & in Rep. versantur, per hos enim & maximas Respub. cædes accipit, si mali sint, & viciſſim iuuatur plurimum, si boni viri sint, & legum studiosi, quod si Rempub. capescentibus semel permiseritis violare leges, & recepta despicere, necesse erit, vniuersos, qui in Ciuitate degunt, improbitatis eorum pœnas sustinere. Vt enim delictorum quæ in nauibus fieri assolent, inter nauigandum, si quis nautarum

tarum deliquit, paruum eſt damnum; Si vero gubernator deceptus fuerit cõmuni calamitate omnes inuoluuntur: Sic plebeiorum peccata, non in populi, ſed in ipſorummet damna cedunt; Magiſtratuũ verò & Remp. gerentium delicta ad nos vniuerſos pertinent. Vnde Solon plebeis tarda, magiſtratibus & Gubernatoribus velocia conſtituit ſupplicia, eò quod exiſtimabat de plebeis ſemper pœnas ſumi poſſe; de principibus vero nuſpiam, propter libertatẽ illam quam ſibi iure competere exiſtiment, hoc volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas, quantumuis inculcent ſubditis mementote magis nobis parendũ quam ſuadendum, vt dicebat Alexander; Iuuen. ſat. 6.

Certe libertas iſta & viuẽdi licentia in quouis priuato Reip. Chriſtianę Ciue execrabilis eſt, ſed in principibus multo magis, quia exemplo ſuæ prauitatis facilè poſſunt populum ſecum in barathrum vitiorum, fideiq; abnegationem inducere, immodicam enim & effuſam libidinem ſequitur poteſtatis contemptus, quem neceſſario poſtea turpis defectio comitatur. Vnde Paulus admonet eos ad Gallat. ſcribens cap. 5. Vos (inquit) in libertatem vocati eſtis „ fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis „ carnis, ſed per charitatem ſeruitute inuicem. longé autem prouidens quod S. Iacobus in ſua Canonica de eiuſmodi exorbitantibus inquit cap. 1. Quidam „ homines qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium „ impiè dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, „ & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum negãtes. Hos ſane apoſtolus appellat impios, qui à vera pietatis & religionis ſpecie ad ſeductionem inducti, communem & catholicam ſalutis publicæ viam conturbauerunt, gratiamq; Crucis Ieſu Chriſti &

eius vulnerum sanguinisq; eius pretiosissimi, in ablutionem totius mundi effusi, & mortis pro salute humani generis obitæ temere transferre volunt in luxuriam, non crucem & mortem filij Dei tanquam exemplum ad imitandum sibi proponunt, sed quasi malitiæ suæ vt Petrus ait 1. pet. 2. velamen prætendunt, dum quęstum pietate iactitantes, omnem veræ pietatis rationem in commenta, ad luxum, fastū, ambitionem & auaritiam efficta conuertunt. Sic.n. Cacodæmon hæreseon seminator solet scelestos homines inducere vt Dei gratiam summiq; principatus dominationem in luxum transferant, & omnem sic abrumpant pietatem & religionem.

Quod si huiusmodi fructus hæreseon in plurimis perspicimus, & non sine magno dolore obseruari cõfitemur, vt qui lasciuire cæperunt à scelere reuocentur, cæteri vero in officio contineantur, minime dubitandum est quin nimia viuendi licentia abususq; potestatis principandi, effrenataq; eorum libido, qui cum adhuc Catholicæ religionis stationem non deseruerunt, à scelere tamen non abstinent, sed certatim in id incumbunt, vt omni deliciarum genere effluant, proximus sit ad defectionem gradus: vnde Plato tam improbos & prauis moribus imbutos principes, qui diuini muneris omnino expertes, à Reip. gubernaculis prorsus expellendos esse decernit in 7. de Repub. Cum enim difficilimum semper habitū fuerit se ipsum feliciter moderari, certe fieri minime potetit, vt princeps sceleratus Ciuitates & prouincias ex tam multis diuersisq; hominibus constantes, quibus pene innumerabiles etiam singulis diebus imminent rerum euentus, feliciter, beateq; absque Deo omnis felicitatis & beatitudinis authore componat, non enim cum impijs est pax ait propheta,

longeq;

longeq; à peccatoribus ſalus. Idcirco Cyrus non cẽ ſebat conuenire cuipiam principatum, qui non melior eſſet quibus imperet, eſt enim veluti monſtrum quoddam Rex iniquus & diſcolus: quippe quem iniquorum correctorem eſſe oportet, & in ſe ipſo no minis dignitatem cuſtodire, quomodo in alias aduertet qui proprios mores non corrigit, fit enim vt dum ille inane nomen Regium ſuſtinet, malus mala conſuetudine diſſolutus, cæco impetu in interitum impellatur, quia in iuſtitia & pietate Reg is, col ligit Ciprianus lib. de xij. abuſionibus cap. 9. exalta tur ſolium Regium, & in veritate Regis ſolidantur Gubernacula populorum, vbi veto non eſt pudor (in quit Seneca) ibi nec cura Iuris, ſanctiras, pietas, fides, inſtabile regnum eſt: & ſi huc vsq; deuentũ fuerit, vt quis cauteriatam habeat conſcientiam, & ita flagicioſam vitam agat, ac totum ſe ſe ſceleri mancipet, & tanquam ex certa nota flagitij ſeruus cognoſci velit; quid aliud ſupereſt, quam vt ille circa fidem naufragium faciat? nam ex flagitiorum colluuione ad cæcitatem animus delabitur, & inde hęreſeon fluctibus ſubmergitur, impius enim cum in profundũ venerit contemnit: cuius rei modernum temporis noſtri exemplum nos mouere poterit, quando infeliciſſimus ille Angliæ Rex Henricus octauus ſuæ & maiorum ſuorum gloriæ oblitus, impudicæ feminę ſe totum addixit, ſtatimq; eius amore inſanus factus, de euertenda sũma Eccleſiaſtica poteſtate cogitauit, ſanctiſſimasq; Eccleſiæ leges & ſummi in eius Cathedra Vicarij ordinationes contempſit, & oppugnauit. Aliud longè melius fæliciusq; regnandi principium principandique exordium preſcripſit olim Deus in
„ Deut. 17. cap. Dum conſtitues (inquit) per Moisẽ
„ quem Dominus tuus elegerit de numero fratrũ tuorum,

„ tum. non poteris alterius generis hominem Regem
„ facere qui non sit frater tuus. Ecce constitutio re-
gni & Regum. Iam sequitur modus & norma regē
„ di. Cumq; fuerit constitutus non multiplicabit si-
„ bi equos, nec reducet populum in Aegyptum equi
„ tatus numero subleuatus, præsertim cum Dominus
„ pręceperit vobis vt nequaquam amplius per eandē
„ viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas
„ quæ alliciant animum eius, neq; argenti & auri im-
„ mensa pondera. Postquàm autem sederit in solio re
„ gni sui describet sibi Deuteronomium legis, huius
„ in volumine accipiens exempla a sacerdotibus Leui
„ ticæ tribus & habebit secum legetq; illud omnibus
„ diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum
„ suum & custodire verba & ceremonias eius, quæ in
„ lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in super-
„ biam, super fratres suos, neq; declinet in partem dex
„ teram vel sinistram vt longo tempore regnet ipse, &
„ filij eius super Israel. Ex quo datur intelligi Princi
pem Dei imaginem referre in Terris, ipsiusq; Vica-
riam operam agere in visibili hoc ministerio, non
suam propriam. Quare solicitus esse debet, ne dum
negocium Dei agere velit, id ipsum vel in propriam
laudem, vel ambitionem conuertat, sic enim exuet
personam Dei, & efficietur symulacrum Diaboli, vti
accidit Lucifero, qui quantumuis a principio præcla
ris virtutibus a Deo donatus fuisset, quia tamen non
eas in ipsum vel Angelorum bonum conuertit, mi-
serrime à dominatu suo cum factionis suæ partici-
pibus detrusus est, quo enim maior qnis est in pote-
state, & ea ad præscriptum Dei beneutitur, eo pro-
pius Deo accedit. Si vero quispiam talibus sibi cō
cessis donis abutitur, eo remotior à Deo pernicio-
siorq; est ruina ipsius, quo maior illa fuit, à qua exci

dit

dit dignitate, eorumq; principum casus maiores in terra excitant motus, quo plures sibi ad obsequendum obligatos tenent, quos omnes etiam vel minimus error principis in maximam perniciem pertrahit.

Vnde maxima est virtus in tam alto principatus dominio sibi ipsi imperare posse, & affectus refrenare, deliciarumq; irritamenta temperare, ac inanes dignitatum titulos subiugare, quod is maxime præalijs felix dicatur ab Ecclesiastico cap. 31. Diues
„ qui inuentus est sine macula, qui post aurū non abijt
„ nec sperauit in pecuniæ thesauris, fecit enim mirabi-
„ lia in vita sua qui probatus in illo & perfectus inuen
„ tus est, & erit illi gloria æterna, qui potuit transgre-
„ di & non est transgressus facere mala, & non fecit,
„ ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Est boni principis maximum officium non tantum bene rege re populum sibi commissum, & ab omnibus hostibus inuiolatam subditorum salutem custodire, sed exemplo bono factisq; & operibus præire, vt habeāt quem imitando ament, & delinquendo vereantur.

Cuius rei maximum extat exemplum in Moyse Duce præstantissimo, qui pro populo suo, quem Deus ob peccatum idololatriæ delere decreuerat,
„ sic locutus est Exod. 23. Obsecro Domine, peccauit
„ populus iste peccatum maximum feceruntquè sibi
„ Deos argenteos, aut dimitte eis hanc noxam, aut si
„ non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Rex & Propheta Dauid 2. Reg. 24. qui licet peccauit tamen resipuit exclamando, quando Angelum
„ Dei vidit cędentem populum. Ego sum (inquit) qui
„ peccaui, isti oues sunt quid fecerunt, vertatur obse-
„ cro manus tua contra me & domum patris mei. Boni principis est vti subditis suis tanquam filijs, & eis

benigne

benigne quædam indulgere, quæ etiam iuste vindicari possint, præferendo clementiam seueritati. Ex quo cognoscimus principatum ipsum homines non reddere impeccabiles, imo nisi retundatur affectus, ob libertatem agendi, & viuendi, reddit ad peccandum pronores & faciliores, ideo taliter conandum est bono principi viuere, vt non modo homini, sed neq; cupiditati suæ seruiat, contemnat omnes libidines, non auri, non argenti, non cęterarum rerum sit cupidus, populi saluti magis consulat quam voluptati, nemini cedat in prauis, sed in his omnibus obsistat: oportet enim principem (ait ille) esse grauem, constantem, quem fauor vel odium, amor, spes aut timor aut quæuis cupiditas non concutiant, non .n. tantum malum secum adfert peccatum principis, quamuis in se malum sit, quantum illud quod per multos imitatores habeat, & cum illis plerumq; vel religionem suam mutent, vel mutatam sequantur, nec tantum sibi obsunt quod peccant, sed quia alios corrumpunt, sicque plus exemplo quam peccato noccent.

CAPVT DECIMVM.

Quibus virtutibus imbutus esse debeat Princeps?

MINVS forte necessarium foret, in præsenti cap. longiorem texere sermonem, cùm in superiori satis superq; dictum fuerit, de vitijs & eorũdem consequentijs, vt sic ex vno alterum oppositum quis consequi, haud vllo labore possit: Quia tamen, vt ait Philosophus, contraria iuxta se posita magis elucescunt; & nostrum sit in præsenti institutum, omnibus

omnibus numeris absolutum, clausulisq; & notis perfectissimum, quàm possumus, constituere Principiem; ideo posteaquam de uitijs Principum superius actum fuerit; nunc cõsequenter etiam de virtutibus eorundem plenius dicemus.

Cùm verò vnumquodq; , vt idem philosophus ait, quod recipitur per modum recipientis dispositum recipiatur; virtutes homini, nisi benè optimeq; disposito, minùs acquiri poterunt. Igitur ad eas ante omnia capescendas, requiritur eorum hominum à prima iuuentute, optima & diligens institutio, cuius institutionis contemptus, postmodum in Repub. corruptos generat inducitq; mores: adeò, ut cùm pueri adoleuerint, vniuersum cætum ciuilem, & remp. eiusq; administrationem conturbent, & sæpè, nisi pœnis acerbissimis maturè coerceantur, conuellant. Vnde prouidè in legibus & repub. humano generi prouisum est, vt inter cetera pro puerorũ efformandis moribus, nedum publicè scholæ, sed etiam eruditissimi quiq; ad hoc, publico stipendio conducti, habeantur magistri, quod Romanis olim in vsu fuisse testatur Valer. Max. lib. i. cap. i. quod quotannis sex optimatum filios ad sex Hetruriæ populos mittebant, publico cum viatico, vt auguralem scientiam addiscerent, & postea negotiorum Romę directores essent. Hinc celebris fama fuit consessus docendi Bruidarum in Gallia, qui iuuentutem prius ea docerent, quæ ad religionem; deinde quæ ad Remp. tractandam conducere videbantur, teste Iulio Cæs. lib. 6. Com. de bell. Gall. & Rex Assyriorum alienigena cùm audisset populum, quem ex Babylone in Samariam transtulerat, à feris & leonibus deuorari, eò, quod ignorarent legitima Dei, i. Reg. 17. tales sibi accersendos curauit, à quibus ea

D. Ambroſius quid iuuenibus conueniat, & quomodo eorum animi ad virtutes capeſcendas informentur, admonet lib. 1. offic. cap. 1. eſt bonorum adoleſcentum, inquit, timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere ſenioribus reuerentiã, caſtitatem tueri, non aſpernari humilitatem, diligere clementiam, ac verecundiam. Quarum omnium virtutum Deus ipſe ſua piiſſima bonitate compendium quoddam compilauit, idq; pauciſſimis decẽ verbis in decalogo reliquit; & poſtmodum ipſe Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu S., vnicus Dei & Mariæ filius eſt, ab vtroq; procedens, noſtræ ſalutis recuperator & mediator in Deum & hominem, idem IESVS Chriſtus in Epitome ſua paucioribus concluſit, dicens: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo. &c. hoc eſt maximum & primum mãdatum: huic ſimile eſt, diliges proximum tuum ſicut te ipſum: in his duobus præceptis vniuerſa lex pendet, & prophetæ; quod dilectus Chriſti Apoſtolus ad vnum concluſit, Rom. 13. inquiens, omnis lex in hoc verbo inſtauratur: diliges proximum tuũ, ſicut te ipſum. neq; quis Deum diligere poteſt, inquit S. Ioan. Euangeliſta 1. cap. 4., quem nõ videt, qui proximum quem videt, non diligit; alioqui mendacii arguetur, ſi vnum eorum abſq; altero conſiſtere poſſe putabit.

Ad reliquas ſcientias & artium diſciplinas, quæ conueniant inſtitutioni puerorum, obſeruandum eſt prudens reſponſum Leotichidæ primi, vt Plutarch. in apophtegm. qui cùm interrogatus, quid potiſſimùm ingenuos pueros diſcere oporteat? reſpondit, hæc, quæ vſui eis eſſe futura ſunt, quando viri euaſerint; aliàs certa huius rei ratio moduſq; præſcribi non poteſt, quia vnicuiq;, propria eſt mẽ

tis cogitatio & solertia, vndè animi cæleſtis origo creditur,fallaxq; ſæpe eſt iudicium in cẽſendis iuuenum inclinationibus, quibus ſi remoueantur obiecta, & in diuerſa commutentur conſuetudines, poterunt accedente vi rationis ſæpiſſimè moderari, quod vt in brutis cõſuetudo uincere poteſt;ſic multò magis in hominibus,bonis inſtitutis & ſermonibus ac diſciplinis,accedente potiſſimum Dei implorata clementia. Dum eram paruulus,inquit Paulus, agebam quæ ſunt paruuli, nunc autem maior factus,ea quæ ſunt paruuli,euacuaui.

Plurimum facit ad diſciplinas addiſcendas, victus & inſtitutionis ratio,aeriſq; temperies, & loci ſitus,quod cum Principum filijs contingit,quia melioribus fluxibus cæli, planetarumq; craſtellationibus ſubiecti ſunt, atq; poſt natiuitatem eorum electo lacte,& cibis delicatis electiſq; nutriuntur,non ad ingluuiem ſed ad peritorum adſtantium conſilium,ſic magis propenſiores ad eaſdem fiunt,ſequẽtes viri doctisſimi Hyppocrat. doctrinam in Aphoris. recitatam in canone. c. Ne tales,de conſecrat. diſt. vltima, ex quo haud dubiè neceſſario habent imbui virtutibus,& hęc illorum virtus innata & acquiſita dicitur, & omnibus prædictis concurrentibus heroica. Vnde antiqui poetæ Principes tales Heroes vocitabant, & per has,Principes ſe pares Deo appellabant,vt in Auth.vt Iudic. ſine quoquo ſuffr.§.itaq; Deo.

Nec iuuat,à prima iuuentute benè feliciterq; inſtructum fuiſſe,niſi & hoc,quod à pueris imbibitum eſt ,ad finem uſq; ſenectutis inhæreat: Accidit .n. ſæpè,vt pueri principes,nati ex bonis Chriſtianiſq; parentibus,qui ipſis viuentibus nunquam ab eorum doctrina ,uel latum vnguem deflectunt: poſt mortem

tem verò illorum, vel aulicorũ improbitate, vel ſecum commoratium delitiis& voluptatibus,omnium peſſimi euadunt. Sic in Ioram rege Iuda, 4. Reg.22.& 2.Paralip.cap.24. legimus, quod puer ſeptem annorum cùm regnare cæpiſſet, princeps optimus fuit,& religioni veri Dei addictus, quam diu Ioiadas ſacerdos admonebat,vixit: quo mortuo & ipſe à pietate defecit, & Zachariam prophetam filium Ioiadæ,qui ei regnum conſeruauit, occidit; Nec Solomon melior effectus poſtquam amoribus & voluptatibus ſeruire cæpit,vbi à pietate aberrauit,& idolis,mulieribus, & dijs ædificare cæpit,non obſtante,quod à iuuentute ſanctiſſimis legibus inſtructus fuerit 3. Reg. c.11.Multum ergò eſt, quibus curatoribus & moderatoribus filij principum committantur,eligiq; debent ij præcipuè,qui in diſciplinis periti,in militaribus quoq; Principi tradendis exercitati,vt illi quæ ad virtutem & mores; iſti verò quæ ad exercitia principibus requiſita ſunt,edoceant. Super omnia autem requiritur,vt vtriq; ſint probi, boniſq; moribus, boni exempli, pij religioſi,timentes Deum,alieni ab adulatione,quiq; laudent ſi quid bene fecerint, vt excitentur ad gloriam, uituperent autem & reprehendant,ſi quid mali eos contingat agere,vt pudore à ſimilibus deterreantur,arceant corruptorũ iuuenum,adulatorum,meretricum, impudicorũ conſortium. non patiantur vel ioco, uel ſerio illos mentiri,vt ament perpetuò veritatem: exerceantur in iuſtitia reddenda,etiam in ludicris,ut apud Xenophontem in Cyri inſtitutione animaduertimus.

Talibus ſic Principum animis efformatis, facile aliæ virtutes, quibus adminiſtratio regnorum &

prin-

Iuſtitiam communem & omnem eſſe virtutem ait Ariſtot. 5. Ethic. c. 12. atq; adeò vniuerſalis dicitur virtus, non quod ad interiorem & propriam cuiuſq; reliquarum virtutum rationem ſpectet, ſed quia omnium virtutum actus, dum eliciuntur, in commune Reip. bonum conuertat, comiteturq; Sanct. Thom. 22. q. 58. ar. 5. 6. hanc virtutem principibus ineſſe ait architectonicè, dum ea ciuibus præſcribit, quæ ad commune bonũ, optimãq; Reipub. adminiſtrationem pertinent, & legibus à ſe latis diligentiſſimè curat, vt vnuſquiſq; ſe ita gerat, vt communis vtilitas & reipub. ſtatus poſtulat, hincq; efficitur, quod omnia, quę reipub. moderatores mandant executioni, ad hanc iuſtitię ſpeciẽ pertineant, quam etiam ſubditis ineſſe tradit idem D. Thom. ex eo, quod ſe omnes ad vnum eundẽq; finem accommodant, & quæ à rectoribus conſtituta ſunt, iuuiolabiliter obſeruant.

Huius obiectum proprium eſt id, quod iuſtum eſt, ait Ariſtot. non ea ratione, qua idem eſt cum æquo, quod iniquo opponitur, ſic enim iuſtitiam particularem conſtituit, Cardinalem; ſed vt eſt idem cum legitimo id eſt, quod à lege præſcribitur, legiq; conſonat, cui aduerſatur iniuſtum, ſub ea ſignificatione, ſecundum quam quĩ à lege diſcedit, iniuſtus dicitur: huiuſmodi ergò uirtus ordinata eſt ad alterum ſcilicet, ad publicam reipub. cauſam fouendam, & dicitur iuſtitia, quod is, qui legibus paret, id quod reipub. decus & perfectio poſtulat, exequitur; qualia ſunt, Reipub. conſulere, vrbes tueri, liberos; parentes venerari, hosq; illos amare, proximos diligere, ſalutem ciuium conſeruare, nil præter rectum velle, nil niſi turpia timere, modeſtè, verecundè, abſtinenter, caſtè ſe gerere,

& hoc est, quod alias omnes virtutes in se complectitur, magisq; illius splendorem eminere ait Aristot. si architectonicè in reipub. moderatoribus resideat, quàm si in reliquis ciuibus reperiatur.

Alteram particularem appellant iustitiam philosophi, quę priuatim ad alium dirigitur. cuius obiectum est, iniuriam alteri non facere. Et hæc quidem diuiditur in distributiuam & commutatiuã, de quibus in 2. libro agendum. quarum prior pertinet ad præmia & pęnas, pro meritorum ratione distribuendas: Altera circa contractus, & æqualium rerum permutationes versatur: quia verò proprium munus & insigne est iustitiæ, vt sit habitus animi, incitans ad suum cuiq; tribuendum, merito princeps ex muneris sui ratione, pro iustitia tamquam pro aris sociisq;, vsq; ad sanguinem decertare tenetur, non solum vt iustè imperet, sed etiam ne contra alias virtutes, quæ iustitia in se omnes complectitur, vel faciendo vel iubendo commissum videatur.

Ex quo non minus fidei, prudẽtiæ, fortitudinis, & temperantiæ, quàm ipius iustitiæ studiosus cultor et propugnator esse debet, quibus si princeps caruerit, regis vel principis nomine indignus erit. Iustinianus in Nouell. 66. in princ. ait; Vnam quidem esse omnium perfectissimam virtutem, arbitrandum est hominibus, quæ iura omnibus distribuit, hæc est ex causa cognominata iustitia. Etenim vnamquamq; aliarum virtutum nisi subsequantur huius bona, fieri nihil horum quæ competunt. Et postea subiungit nec fortitudinem quæ non est cũ iustitia laudabimus, cum scilicet patria lingua fortitudinem in armis virtutem appellet solum: & si quis ab ea iustitiam subtrahat, delictorum solum-

modo

modo, non quorundam bonorum fiet occasio.

Luculentius idipsum comprobatis. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 20. Prudentia (inquit) sine iustitia nocet, fortitudo quoq; , nisi eam iustitia temperet , intolerabilis insolentia est ; furori quàm rationi propior , dominationi quàm libertati , Sobrietas , & temperantia priuata bona sunt, nec vllius vis, nisi iustitia erga Deum Reuerentia & fideli mente pietatem colas . Iustitia sola est, quæ virtutes omnes complectitur, & commendat omnes. Hactenus Ambros.

Notãdũ insuper, quamuis vniuersas contineat virtutes , pietas tamen & æquitas nullo modo diuelli vel separari ab ipsa possunt, nam fides, temperantia, pietas, innocentia, integritas, &c. vt scribit Lactant. Firmian. lib. de diuin. instit. cap. 5. vel natura, vel parentum institutis possunt esse in hominibus, qui iustitiam nesciunt; pietas verò & æquitas quasi venæ sunt eius , his enim fontibus duobus constat omnis iustitia , in quibus & summa totius Reipub. collocata est.

Fides porrò fundamentum est iustitię, dictorum scilicet, conuentorumq; constantia & veritas, si .n. non sit, cui vitam, salutem, bona, liberos, res omnes, arcanaq; nostra confidamus, si sempiterno metu nobis insidias parari suspicabimur, longè pecudibus ipsis inferiores erimus: est enim multò satius mori, quàm perpetuo metu & assidua curarum acerbitate diuexari.

Inter ea verò, quæ nobis creduntur, quantò res præstantior est quæ nobis creditur, tantò diligentius eidem à nobis fides præstanda est, nil autem maius est, quàm salus hominum, quàm nationum tutela, atq; patrocinium, quæ omnia cùm principi credita

sint, à nullo magis præstatur fides, quam ab eodē. nec quicquam rerum omniū magis vehementisùe continet rempub., quàm fides, fide enim auctum fuisse Rom. imperium, diuq; conseruatum, nemo negare potest, cuius gratia fidem & mentem dedicauit in capitolio M. A Emilius Scaurus, ante autē templum dedicauit Fidei Attilius Galatinus, vt testatur Cic. 2. de diuin. Neq; negotia publica tractari poterunt sine fide, siue cum subditis, siue cum vicinis, siue cum hostibus; pactionibus enim & conuentionibus ista omnia innituntur, quorum fides est vnica basis. Vnde cessabit emptio & venditio, locatio, conductum, depositum, & alii omnes contractus ciuiles, qui ex ipso iure gentium introducti sunt, & quorum vsum nec Princeps quidem abrogare potest, cùm legis naturalis æquitate nitantur, cui omnes Principes subiiciuntur.

Ex hac eadem lege naturali ipsis malis fidem datam seruare debet Princeps, exemplo Iosuæ, 2. Reg. 19. qui Rhaabæ meretrici ac Gabaonitis: & Regis Dauidis, qui Semei homini seditioso & maledico, fidem datam seruauerunt; non enim nisi noua subeat causa, fidem etiam hosti datam, violare licet.

Vt verò prędicta omnia sine cuiusuis læsione, ordine recto exequantur, opus est Principi maxima circumspectione & consilio maturo, ne dum vni incumbere studeat: alterum turpiter omittat; aut dū iustitiam exequi vult, alterius fidem & existimationem lædat, quæ enim facta, ait Papinian. l. filius ff. de Condit. instit. lædunt pietatem, existimationem, verecundiam, ac deniq; contra bonos mores fiunt, nec nos facere posse credendum est. Ergò summæ artis regiæ est, bonum & æquum ab iniquo distinguere,

guere,& vnicuiq; , quod conuenit , adminiſtrare: quæ ratio etſi nulla lege comprehendatur , vtpotè quod extra omnis ſcripturæ determinationem ſit, ita tamen exerceri debet erga ſubditos, ne ſcriptæ leges à ſubditis vilipendantur, necque omnibus pro arbitrio illas vel attemperare , vel mutare liceat,quod ſolum,quia officium Principis eſt; vtq; in pectoris ſui ſcrinio leges omnes cõtinere debeat,ità authoritate ſibi conceſſa ex legis ordine, pro bono & æquo abuti non debet. Hæc enim ſcientia boni &æqui,non in ſola rerum humanarum cogni tione conſiſtit,ſed diuinarum rerum notitia plurimùm perficitur:ex cognitione enim eorum quæ ad Deum ſunt,facilius deprehendimus,quæ ad homines pertinent, quòd cùm ſuperioris authoritatem omninò concernat,potius in principibus qui aliis prę ſident,idipſum reſidere,atq; in ea parte animi, quæ æſtimatiua dicitur,qua aliis ſine arte, attamen cum virtute conſulimus,optimèq; cupimus, penitus conquieſcere dicimus. Ita enim ſe habet communis omnium hominum opinio,quod homines ſumma prudentia præſtantes, ſummo imperio dignos exiſtimet. ſępèq; numero eorundem iudicio multitudinem vulgi quam præcipitem nouimus , imperiumq; nefariè detrectantem accommodare, eò quod intelligat omnium ſalutem illius , ſcilicet principis & moderatoris prudentis iudicio&autho ritate contineri, qui optimè poteſt,quod omnibus vtile ſit futurum, ratione prouidere,eaq; virtus uel hoc ſolum omnes uirtutes gubernat , quod ipſa per ſe ſola , niſi à ſui ratione in calliditatem deficiat, munera ampliſſima,dignitatiſq; pleniſſima tueatur & ſuſtineat,atq, ob id meritò ab aliis prudentia dicatur , medium uidelicet quippiam exiſtens inter

scientiam & sensum, quod affectionibus animæ præ sidet, easq; ratiocinatione adiuncta, tanquam propriam familiam regit, & ad experientiam ipsam cõparatam rationem scientiæ habet. Si enim princeps rationem dignitatis suæ non habeat, maiestatemq; suam non temperet prudentia, sed id solum gerere moliatur, quod potestatis sit, facilè in tyrannidem eius principatus declinabit.

Ex quo sequitur nil posse esse dirius principe imprudente & insano, cùm enim potentiæ fructus nõ sit in possessione, sed in recto illius vsu collocandus: rectus autem omnium rerum vsus prudentiæ moderatione contineatur, vbi prudentia non extiterit, ibi necesse est, vt qui opibus affluit, non ad salutem & honestatem, sed ad perniciem atq; dedecus illis utatur.

Tria autem requiruntur ad hoc, vt princeps rectè prudẽtia vtatur, memoria scilicet præteritorũ, præsentium ordinatio, & futurorum prȩcautio, quæ olim Deus per Moysen populo suo aberranti incla
„ mare voluit, Deut. 32. dicens: Gens (inquit) sine
„ consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent & in
„ telligerent, ac nouissima prouiderent. Saperent videlicet præterita, intelligerent præsentia, & futura prouiderent. Sapientia vtiq; ex præteritis, intelligentia de præsentibus, prouidentia de futuris.

Ex quorum consideratione facile deprehendet pius & prudens princeps, tàm in sua, quàm in aliena repub., quid, quoùe annorum numero actum gestumùe sit, quid benè aut malè successerit, quid laudabile, quidùe reprehensione dignum, sicq; præsentia negotia ex prȩteritorum successu ad meliorẽ statum reducet, illicitum ab illis distinguendo, in electione sua quid iustius & melius, adhibita in omnibus

nibus diſcretione, quæ mater eſt virtutum omniũ, comprobabit. Vnde futurum eſt, quod rerum ſuarum geſta, ſiue in bello ſiue in pace illa fuerint, plus commodi quàm incommodi reipub. ſecum adferent.

Quod ſi prudentia ob id principi neceſſaria eſt, non minus fortitudo, qua magna & excelſa contueri debet, eidem neceſſaria erit. Certè ut Principum dignitas ſumma amplisſimaq; eſt in ſe, ſic exceſſus ſemper eos animus comitari debet, alioquin mollis, humilis & abiectus efficietur, uel vehementer eleuatus, belluæ potius alicuius immanem naturam, quàm viri fortis ingenium induet.

Eſt autem fortitudo non furor, & amentia, libidini ſeruiens, ſed animi excellentis altitudo, pro iuſtitiæ ſanctitate pugnans. Hoc enim viri fortis opus eſt, vt cum honeſtatem ratione Duce perſpexerit, eam omnibus aliis uitæ commodis anteponat, illiuſq; retinendę cauſa, mortem potius expetat.

Conuenientiſſimum etiam eſt, vt ſicut in omni bene conſtituta repub. omnes leges in armorum vſu tutelaq; conſtitutæ ſunt; ſic in benè quoq; moratis animis omnia iuſtitiæ præſcripta, fortitudinis præſidio communiuntur: Ex corde enim, inquit ſcriptura, oriuntur malæ cogitationes, iracundię, veſanæ cupiditates, timores horribiles, quibus facile animus à ſuo gradu præcipitatur, mentemq; obnubilant, niſi adſit intrepida animi altitudo, quæ mortem doloreſq; extremos negligat, omnesq; turbidos motus, quæ cęco quaſi impetu rationis arcẽ infeſtant, acerrimè propulſet. fortitudinis igitur illud munus omnium uirtutum commune eſt, vt rationi obtemperet. illud verò proprium, vt iuris æquitatem conſtanter tueatur.

Hæc

Hæc si ità sint, vti sunt verissima, principes scilicet fortes esse debere, rectæ rationi parere, proiustitiæ sanctitate pugnare, quomodo illos excusabimus, qui se solos, ad temeræ multitudinis opinionē sufficere posse effingunt, nulliusq; virtutis excomio ornati, multis rempub. Christianam diuexant, profecto qui fortitudine comitibusq; eius magnanimitate, animi grauitate, patientia, rerum humanarum despicientia, comptus non est, indignus est, quod in solio regali sedeat.

His temperantia, tamquam choronidis loco subiicitur, quam nisi quis habeat, iustitiæ munus ab illo administrari nequit, quod Hieron. Osorius lib. primo de gloria sic disertissimè comprobat: multi quidem tyranni sapientię laudem adepti sunt, multi simili ratione falsam iustitiæ rationem induere, multi etiam fallaci virtutis imagine, famam egregiam consecuti sunt, animi autem moderationem nemo vnquam flagitiosus & improbus potuit imitari: habet prudentia acumen ad præcauenda mala, id tamen sibi malitiosa calliditas assumit; est iustitia clemens & benigna, eandem verò laudem multi largitione, & fallaci specie libertatis adepti sunt; inest in fortitudine incredibilis quædam animi elatio; ast huius elationis similitudinem in hominibus audacissimis & improbissimis plerunq; cernimus. Temperantia verò cum totius honesti formam habeat, & cumulatam, nempè quæ ab vniuersæ virtutis consensione, sapientięq; muneribus existit, & in animi placida & quieta constantia sita est, nil relinquit insipientibus & immoderatis, quod assimilare possint. S. Augustin. de lib. arbit. Temperantia est effectus coercens & cohibens appetitum ab his, quę turpiter appetuntur. Cic. i. Rhetor. Temperantia

est

eſt rationis in libidinem, atq; alios non rectos animi impetus, forma & moderata dominatio; quam præclaram illam animi dominationem antiquus ille Chriſtianæ pietatis oſor diabolus primis noſtris parentibus maximè inuidebat, nihilq; non attentabat, donec eoſdem illa præclara nobilitatis forma, quâ Deo ſimiles affecti fuerant, deturbaret, quod idem S. Auguſti. docet, & refertur de pœnit. diſt. c. princeps vitiorum; Princeps vitiorum omnium, dũ videt Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factũ, pudicitiâ ornatum, temperantia compoſitum, charitate ſplendidum, primos parentes illis donis, ac tantis bonis expoliauit pariter, ac peremit, namq; cum homini abſtuliſſet, pudicitiam & continentiã, dominio eum ſuo ſubiugaui. Et paulò poſt, Adam amiſſa temperantia, factus eſt intemperans, perdita charitate malus inuentus eſt, Huc vſq; S. Auguſtinus.

Ex quibus colligitur, quantum referat ſtudioſũ eſſe principem, virtutum omnium ſeminario, eoq; vel maximè, quod omnes ſimul connexionem inter ſe habeant indiſſolubilem, earumq; vna exploſa, reliquæ omnes vel exulabunt, vel veræ virtutis rationem, & nomen nõ habebunt, vt ex ſupradictis prudens lector reperiet. Ergo cùm ſapientia, quod rectum, verum & ſimplex eſt, perſcrutetur, fortitudo animum ad vires tyrannidis elidẽdas cõfirmet: temperantia, ne ſtatus animi prauo illicitorum tumultu turbetur, caueat: iuſtitiam nemo quis recte colere poterit, qui non fuerit ſapiens, fortis, temperans, & modeſtus: vbi igitur pro fide perfidia, pro temperantia libido, pro fortitudine imbecillitas, pro ſapientia temeritas adminiſtratur, ibi ne veſtigium quidem iuſtitiæ & æquitatis extare poterit;

iuſtitia

iustitia verò collapsa, omnis pietas & religio corruat, necesse est.

CAPVT XI.

Quare Deus permittat malos Principes, & auferat bonos?

QVod homines natura mortales, mutationibus interituiq; obnoxij sint, ciuitates etiam ex hominum societate collectæ, respublicæ itidem, & ciuiles omnes administrationes, ex partibus quibus componuntur, subiectæ affectibus, multisq; aduersitatibus, ita vt iis auctis eædem floreãt, diminutisq; vicissim diminuantur, illisq; afflictis laborent, & sublatis intereant, nemo est qui ignoret : Talis est enim naturalis rerum vicissitudo, vt omne genitũ corruptioni quoq; sit obnoxium, quamuis difficile fieri dicat Plato 8. de repub. quòd benè constituta ciuitas de suo statu moueatur, fieri tamen non potest, quin aliquando dissoluatur : maximum verò omnium malum est, dissolutioq; longè pessima, si malis principibus nobis obtemperandum fuerit ; quemadmodum summum bonum est tutissimũq; reipub. Christianæ asylum, bonis obsequi moderatoribus, quod ex eorum prudentia & æquitatis moderamine, reliquorum omnium facile corrigantur excessus, delictaq; ad rectam viuendi normam redigantur, cum omnibus ipsi sint certum viuendi exẽplar, totusq; eorum actionibus orbis componatur: secus verò malorum principatus, quorum dominatu neq; subditorum emendantur errores, neq; ipso rummet malefacta illustrantur, sed summa cum infimis, mediaq; cum extremis, perturbatissima con-

fusione

fuſione miſcentur, & hoc eſt inſcrutabile profundumq; Dei omnipotentis iudicium in quod plurimi inciderunt. quod optimè explicat Eſai. cap.x.

„ Væ Aſſur, virga furoris mei & baculus ipſe eſt, in
„ manu eius indignatio mea; Ad gentem fallacem
„ mittam eum, & contra populum furoris mei man
„ dabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, &
„ ponat illum in conculcationem, quaſi lutum pla-
„ tearum; Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius
„ non ita exiſtimabit, ſed ad conterendum erit cor
„ eius, & ad internecionem gentium non paucarum.
„ Dicet enim; nunquid non principes mei ſimul re-
„ ges ſunt? Nunquid non, vt Charcamis, ſic Cala-
„ no: & vt Arphad, ſic Emath? Nunquid non, vt
„ Damaſcus, ſic Samaria? Quomodo inuenit ma-
„ nus mea regna idôli, ſic & ſimulachra eorum de
„ Hieruſalem, & de Samaria. Nunquid non, ſicut
„ feci Samariæ & idôlis eius, ſic faciam Hieruſalem
„ & ſimulachris eius. Et erit: cùm impleuerit Do-
„ minus cuncta opera ſua in monte Sion & in Hieru-
„ ſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis re-
„ gis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorũ eius.
„ Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in
„ ſapientia mea intellexi, & abſtuli terminos popu-
„ lorum, & principes eorum deprædatus ſum, & de-
„ traxi quaſi potens in ſublimi reſidentes &c. quia
„ fecerunt in conſpectu domini Dei tui filij Iſrael ſer
„ uitutes Baalim & Aſtaroth; ideo iratus Dominus,
„ tradidit eos in manus Chuſan Rhaſathaim regis Mo
„ ſopotamiæ, & ſeruierunt ei octo annis, donec cla-
„ mantes ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorẽ,
„ & liberauit eos, Othoniel uidelicet filium Cenez
„ fratrem Caleph minorem, fuitq; in eo ſpiritus Do
„ mini, & iudicauit Iſrael, & regreſſus ad pugnã tra-

„ didit Dominus in manus eius Chusan, Rasathaim,
„ & oppressit eum : Iterum autem addiderunt filij
„ Israel facere malum in conspectu Domini, qui con-
„ fortauit aduersum eos Eglon regem Moab, sed quia
„ iterum clamauerunt ad Dominum, suscitauit eis
„ Saluatorem Aiaoth, qui eum necauit, & liberauit
„ populum à seruitute vt legitur Iud. c. 3. Quare ve-
ro Deus tam graui plaga subinde populum suum corripiat, causa in promptu est; quia fecerunt ma lum in conspectu Dei, vnde vt offensam ipsius grauissimumq; populi scandalum commonstret, eiusmodi populi deuastationes, & Reipub. Christianæ diruptiones quandoq; permittit. Si enim Deus, vt Iob loquitur c. 34. Sinit regnare hypocritam propter peccata populi, quid non comminabitur super peccata Principum, quorum est alios à facinore co hibere, viamq; veritatis & honestatis demonstrare. Idcircò verò Deus affligit populum sæpè per malos principes, vt vel eum emendet, vel vt peccatum à populo commissum vindicet, ad quod vtitur potestate regum principumq;, tanquam executiua indignationis suæ, sicq; in confusionem ipsorum, quod Dei dono abusi fuerint, nunc verò idem do num ad aliorum vindictam, iustamq; Dei punitionem conuertere debent, nihilq; inde meliores efficiuntur, cùm intentionem suam ad Dei omnipotentis intentionem non dirigant, cuius bona est permissio, qua opprimi sinit populum in peccatis sepultum, & in stercore vitiorum somnum ducentem. Nec ideò Deum alicuius mali inculpare poterimus, qui cùm iustus est & summè bonus, præteritaq; & futura sibi præsentia habet, in nullo delinquete poterit, ideò iustus Dominus, & rectum eius iudicium.

Adhoc

Adhoc ſingularis Scripturæ Sacræ vſus habet, quod ea etiam à Deo facta dicuntur, quæ ille fieri permittit, non quidem, quod præcedente Dei conſilio & voluntate facta eſſe credamus; ſed ex permiſſione, ita ſcilicet, quod malignis hominum voluntatibus obſtare noluerit, ſed illos ex proprio eorum arbitrio agere permiſerit. Sic enim accipiendum eſt, quod de gentibus ait Paulus: tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiã, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis. Tradidit, dixit, quod eſt permiſit; Deus enim non eſt noſtrarum culparum author, permittit tamen nobis ex noſtra ſententia agere; cùm autem ab illo dimittimur, in maxima quæq; peccata dilabi-
„ mur, quod teſtatur Propheta pſal. 80. Dimiſi eos
„ ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adin-
„ uentionibus ſuis. Sic cùm dicitur Amos 3. non eſt malum quod non fecit in ciuitate Dominus. Et apud Eſai. c. 45. Ego ſum Deus creans malum, & faciens bonum, quod rectè intelligunt Theologi de malo pœnæ, & non culpæ, hoc eſt, de pœna cuius author eſt Deus, vt iuſtus Iudex, quæ malorum pœna etſi in malis verè rationem mali habeat, vindicatiuum vtiq; iuſtiſſimæ iræ Dei, quia tamen à Deo eſt, & in Deo bonis operibus diſcernitur, iuſtitiæ nomen ſortitur, & quod iuſtum ſit malos punire, ſic explicat S. Auguſt. in libris retract.

Sic boni & mali principes, & dæmones, poteſtatem à Deo acceperunt, ſed non ideò ipſi ſi mali ſint, aut ſi poteſtate, quæ per ſe bona eſt, abutantur, immunes erunt à diuino iudicio, imò grauius hic vel in futuro ſeculo punientur. Sic quippè neceſſe eſt punire malos, & quandoq; ab ipſis malis, ſed non ideò qui puniendi accipiunt poteſtatem, à

proprijs delictis eximuntur, quemadmodum necesse est esse scandala, uæ tamen illi, per quem ista hæc fiunt. Ad eundem modum, Caiphas nomine cùm esset Pontifex anni illius dixit: expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Ioan. 11. Verùm non ideò Iudæi, Scribæ & Phariſęi, qui malo animo ob vindictam & inuidiam Chriſtum crucifixerunt, innocentes erunt à ſanguine & morte ipſius; multò ergo minus tyranni maliue principes ſibi blandiri poterũt, quod ex permiſſione Dei delata ſibi poteſtate in populo pœnas ſumant, opprimant, conculcent, & ſuis flagellis cædant: nam exequuntur illi quidem vindictam & iuſtum iudicium Dei, verùm non concurrit voluntas eorum cũ affectu & voluntate Dei, ſicq; potiùs tyrannide, ambitione & inclementia vtuntur, ad ſuum proprium commodum, quàm vt Dei honor & voluntas exinde impleatur: nec meritum habent ex opere bono, ſed peracto opere illo, Deiq; ita quieſcente, ipſi vt flagella amplius non neceſſaria in ignem mittuntur æternum. Cuius admonere voluit Sapiens cap. 6. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis à Domino poteſtas, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & ſcrutationes ſcrutabitur, quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitię, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet &c.

Notiſſima omnibus eſt afflictio dura nimis filiorum Iſrael à Pharaone, qui ad amaritudinem vsq; vitam eorum producebat operibus duris, Exod. 1.

ipſe

ipſe verò in mari rubro ſubmerſus, cum toto exercitu interijt. Sic crudeliſſime in captiuitatem ductus populus Dei ob abominationes ſuas,& regum, vt nobis indicāt lib.4.Reg.2.Paralip.& Machabeorū. Nunquid verò iſti abductores iuſtificati ſunt? nō ſane,ſed ex omnibus talionis pœna remunerati ſunt, vt patet cap.5. Eſaiæ, quodinitio huius attulimus. Adeò ſeuera manet animaduerſio Dei non ſolum illos, quos contumelioſos in Dei religionem piorumq; defenſionem experti ſumus; ſed etiam illos quos Deorum memores fuiſſe, templaq; & phana conſtruxiſſe legimus, vt patet de Micerino Rege Aegyptiorum Cherpis filio, cui oraculum reſpondiſſe dicit Herodotus lib.2.ea propter ipſum citius vita functurum,quod non id ipſum ac parentes faceret: oportuit enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi, in quibns ipſe ſex ſolum compleuerat, pater verò ipſius quinquaginta, & Cephrenes 56.

Tanta eſt inſuper ſapientia Dei,vt ex malis,quorum ipſe author non eſt, bonum colligat, vt ex dęmonibus & tortoribus furentiumq; principum, & in Chriſtum eiusq; Eccleſiam temerè debacchantium turba, non ſolum populum reſipiſcentē, ſed etiam pro eiuſdem fidei veritate, ceremoniarūq; ſanctarum veneratione, fortiſſimos martyres athletasque intrepidos, alijq; Chriſtiani ab illis agitati, feruentiores euadunt,maioriq; digni corona inueniantur: Quotus enim quisq; eſt qui non neſciat, quantis olim, atq; his noſtris temporibus ſub Imperatoribus & regibus Ethnicis abundet ſanctiſſimorum virorum conſtantię & deuotionis in ſanctā Dei matrem Eccleſiam exemplis? variorumq; martyrum coronis,quibus confeſſionis atque firmitatis

ſuæ,

ſuæ, fideiq; probationem longè clariorem reddiderunt: nec inter Chriſtianos ſolum, ſed etiam ex principibus infidelibus conſtantia emicuit, illorũq; firmitate & fidei ſynceritate, ad fidẽ conuerſi ſunt, qui deinceps vberiorem fructum Eccleſiæ pepererunt, & ad hoc voluit, inquit S. Auguſt. in pſal. 54. Deus illorum fidem probari à malis; non enim ſine cauſa Deus patitur malos, nec putandum eos gratis eſſe in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum, cùm omnis malus aut ideò viuat, vt corrigatur, aut vt per illum bonus exerceatur: Neceſſarium itaq; eſt, non minus in hoc ſeculo trucas, immites, & ſæuos eſſe principes, quàm bonos, ſicut inter medicamenta non ſolum vnctiones ad acquirendam ſanitatem requiruntur; ſed etiam imò quãdoq; magis cauteria, pro qualitate morbi & infirmitatum. Semper tamen eſt metuenda iſta regum potentia, quæ datur illis, vt tortoribus & exactoribus ſceleratorum hominum, magisque exoptanda eorum defenſio & conſeruatio populi, quæ ſemper coniuncta eſt cum ſapientia, & paterna benignitate.

Neque eſt, quod quiſquam ex dictis colligat eiuſmodi malos principes & tyrannos, aliqua ex parte à Deo approbari, cùm Dei voluntatis ſint executores, cui nemo, ut infra patebit in hoc capite, reſiſtere poteſt, & ad hoc à Deo Optimo Max. in regnis ſuis permittantur: quia ex iam dictis clarè conſtat. ita ſingulari Dei prouidentia factum eſſe, quod illorum ſibi miniſterium in pænã, alijs verò in bonum conuertat, vndè duplex bonum colligitur, & quod ſic puniti ad Deum conuertantur, ipſiq; punientes iuſtam pro admiſſis ſentiãt vltionem. Quam mirabilem Dei ſapientiam paſſim in ſacris ſcripturæ elogijs contemplari licet, vbi

Deus

Deus aliquos ad populi vtilitatem, aliquos verò ad caſtigationem vocauit, aliquos longo tempore regnare permiſit, alios verò breuiſſimo, & ſic quemad modum eorundem inſtitutio ex Dei voluntate pender, ita & deſtitutio: Vtitur enim Deus principibus, vt ſuæ voluntatis miniſtris. Vnde quorundam ipſe factum probat, perſonas verò non, permittitq; eos regnare quandoq; peſſimis in actionibus, quæ poſtmodum in vtilitatem bonorum, & in vltionem malorum conuertuntur.

Nullis etiam precedentibus meritis Iacob dominaturum conſtituit Deus, in eodem vtero, de relicto Eſau, ad Rom. c. 9. ſic Moyſem regem ſuper populum conſtituit, exod 3, non tamen filios eius in regno ſibi ſuccedere voluit, Deut. 31. ſed Ioſue. ibid. c. ult. & Ioſue cap. i., pariter Heli, & Dauid, & Saul. 1. Reg. 3. 4. 1. Reg. 16. 1. Reg. 9. 10. 15. domini voluntate electi erant, quorum tamen alter ob peccata filiorum Ophni & phinees principatu priuatus eſt, alter verò ob proprios exceſſus reprobatus. Sic Dauid ob peccata Salomonis & Roboam decem tribus ex regno ſuo perdidit.

Pluribus aliis demonſtrare poterimus prædictam Dei permiſſionem, non approbare cuiuſvis tyranni dem. Ieroboam namq; qui vocatus fuit ad vindicandam idololatriam Salomonis, & diuidendum decem tribus de regno filii eius Roboami, eò quod grauiori ſcelere corruptus, maiusq; ſtudium idololatriæ impartitus, quàm Salomon. 3. Reg. 11. 2. paralip. c. 9. 10. ab Aha Rege Iuda unà cum exercitu fuſus eſt, qui & nonnullas eius vrbes, multamq; prædam cæpit: quo non multo poſt defuncto Ieroboamo, eiq; ſuccedens filius Naboth. 3. Reg. cap. 14. 15. anno regni ſecundo eſt interfectus, cum tota familia

lia

lia, vti prædixerat Ahias & Baasa, qui regnum Israel, quod constabat ex decem tribubus, eripiens, nihilo melior fuit Ieroboam, idcirco eadem prædicta sunt Baasæ ac posteris eius à Iehu propheta, 3. Reg. c. 16. quæ prædicta erant Ieroboam. Nam eum mortuo Baasa suffectus fuisset Ela filius eius, postea anno secundo peremptus est ab Aman. quocirca ille desperata omni salute se totamq; domum suam succendit. 3. Reg. 16. Cui substitutus fuit à contraria factione Thebri, quo mortuo solus imperauit Amā à recta religione auersus, annis duodecim, successoremq; habuit Achab, cui eadem prædicta per Eliam Thesbiten, quæ Ieroboam 4. Reg. i. quo mortuo, translatum est regnum in Ioram, qui postmodum à seruo suo Iehu occisus, & omne semen Achab, vt nec reliquerit mingentem ad parietem 4. Reg. 19. 4. Reg. 10. 11. & clausum & nouissimum in Israel: percussit igitur Iehu omnes qui reliqui erant, de domo Achab. 4. Reg. 10. in Iezrahel, & vniuersos optimatos eius & notos, & sacerdotes, donec nō remanerent ex eo reliquiæ.

Ecce quantum Deus permisit Ieroboam, qui iuxta verbum Domini peccatum Salomonis vindicando, & decem tribus à filio ipsius Roboamo subtrahendo, accepit retributionem in hoc seculo, tandē ipsius Ieroboami peccatum vltum fuit in filio eius Nadab, Baasaq; filius Ahiæ deleuit, iuxta verbum domini, omne genus eius, nec reliquit vnam animam de semine Ieroboam.

Sic in aliis tyrannis iuxta verbum Domini ab illis factum, id est, voluntatem domini impletam, ipsos verò non ideo à Deo approbatos fuisse legimus.

Equidem Deus non est vt homo, vt quid iniustū aut inconsultum decernat, ut ideo ipsius possit absolutè

lutè decretum aliquo modo retractari : poſtquam enim vidiſſet, omnem carnem corrupiſse viam ſuã
„ ſuper terram, dixit ad Noe Gen. 6. Finis vniuerſæ
„ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate
„ à facie eorum, & ego diſpergam eos cum terra.
quod ſubſequuto generali illo catachyſmo irretractabile ſtatuit, ſicq; vniuerſam Caini monarchiam vnà cum ſubditis in illo deleuit.

Salomon omnibus viribus ſuis conabatur interficere ſeruum ſuum, cum intellexiſſet eum poſt ſe in decem tribubus regnaturum, ſed fugiendo manus eius ſecesſit Ieroboam in AEhyptum ad Ieſac regẽ AEgypti, donec mortuus fuit Salomon. 3. Reg. 3. Nec rectis oculis aſpiciebat Saul Dauid, eò quod reuerteretur percuſſo Philiſteo glorioſus in Hieruſalem, quarè Spiritus Dei malus immiſit Saul, vt eum occideret, ſed non potuit, quia ſpiritus Domini erat cum Dauid, & ideo factus eſt Saul inimicus Dauid cunctis diebus, i. Reg. 18. Dominus enim ita decreuerat Salomonem punire, & alios ſimiles, tali modo exagitare, proinde nulla humana callidi tate Dei prouidentia impediri potuit, quantumuis eam reuellere conetur humana fragilitas.

Commemorat Socrates lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 19 quod Valens Imperator Arrianus percunctaturus dæmonem ſæpè ſæpius de indicendo ſibi in regno poſt mortem ſucceſſore ſuo, ab eodem reſponſum accepit, ſub inuolucris græcarum literarum nomine. ΘΕΟΔ, ſignificans hoc eſſe initium nominis ſui futuri ſucceſſoris, Vnde commotus is Imperator Arrianus, iuſſit occidi omnes, quos in nominum ſuorum initiis has literas haberent, nempè uel Theodoſii, vel Theodi aut Theoduli, ſed non potuit Theodoſium ſucceſſorem.

ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quã locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Valde bonus & benignus eſt Deus noſter in euertenda ciuitate, aut regno Chriſtiano, nec niſi tardè eò prouenit. Vnde rebelliones quandoq; immittit, vt ea vexatione principes ad ſe ipſos redeant, & à peccatis quibus regem omnium regum offendunt, reſipiſcant & cognoſcãt, rebellante principe contra principem Deum, talionem ſibi fieri in rebellione ſubditorum.

Deus etiam ſæpe proſperari permittit impium principem ad tempus, vt niſi emendatus poſtea grauiori caſu ruat, malitiamq;, eius pæna exemplari puniat.

Ex quo boni principes diſcant, peſſimiq; ſibi & poſteris ſuis metuant, ne poſt felicitatem quam ſi experiri videntur, tandem vindicta ſequatur Dei, qui & vitam & imperium eorum tollat, non enim in alium vſum vult Deus vti principibus malis, dũ alios grauant, quam vt expleto Dei opere, ipſos meritabiliter conijciat in perpetua cruciamenta.

Et hæc quidem acerbiſſima mala nobis contingunt: Verum multò acerbius illud cæteris omnibus, quando ciuitatem Deus, regiones & prouincias, ſuis veris & legitimis deſtituit rectoribus quẽ admodum Eſa. c. 3. idipſum admonendo illacrimatur. Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem & à Iuda, validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: & fortem & virum bellatorem, & iudicem, & prophetam, & ariolum & ſenem: principem ſuper quinquaginta & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſterij. Ideſt, ſpoliabit non ijs omnibus, quę ad magnificentiſſimum

mum reipub. statum ita spectant, vt sine illis consistere nequeat, at qualis quæso erit dominatus, si militaris disciplina obsoleſcat, pacis artes omninò sileant, iudicum scueritas, authoritas atq; prudentia è finibus regionum exterminentur? qualis morum honestas: qualisue fidei cultus & religio, si non sit propheta, qui Dei mentem interpretetur. Explicat hoc Asarias propheta factus, in occursum Asæ regis Iudæ 2. paralip. c. 15. Transierunt (inquit)
„ multi dies in Israel absq; Deo vero, absq; Sacerdo
„ te, absq; Doctore, absq; lege. In tempore illo nō
„ erit pax egredienti & ingredienti, sed terrores vn-
„ diq; in cunctis habitatoribus terrarum. Pugnabit
„ enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuita-
„ tem; quia dominus conturbabit eos in omni angu
„ stia (similis confessio Azariæ Dan. 3. iusta iudicia
„ Dei concludens) omnia (inquit) quæ induxisti su-
„ per nos, & vniuersa quæ fecisti nobis, in vero iudi-
„ cio fecisti (& postea) quia domine imminuti su-
„ mus plusquàm omnes gentes, sumusq; humiles in
„ vniuersa terra hodie propter peccata nostra, & non
„ est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, ne
„ que holocaustum, neq; sacrificium, neq; oblatio,
„ neq; incensum, neq; locus primitiarum coram te,
„ vt possimus inuenire misericordiam tuam. Certè sublata senum grauitate, detractoq; rectorum consilio: illud necesse est sequatur, quod sic denudatā omnibus & belli pacisq; subsidijs, homines indignissimi amentiæque pleni, & temeritate iuuenili remp. capescant, adeoq; perturbent, vt publicis & priuatis rebus exitio sint. Sic enim ait Dominus
„ Esa. 3. Dabo puetos principes eorum, & effæmina
„ ti dominabuntur eis, & corruet populus, vir ad vi-
„ rum, & vnusquisq; ad proximum suum, tumultua-

bitur

„ bitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilẽ: nunquã enim effrenata plebecula ſuam temeritatem & libidinem inconſiderata cohibebit à nobilitate, nec nobilitas a plebe impotentiam animi cõtinebit, nec iuuenis ſenem reuerebitur, neq; ſenes iuuentuti amplius proſpicient, ſed pueri ſenibus erunt infeſti, & plebs nobilitati peſtem machinabitur, deniq; ipſa regio vel prouincia peſtiferarum ciuitatum contagione dimiſſa atq; diſſipata corruet. Hinc, quod magnum certiſſimumq; ſignum eſt cõmunis exitij, honores amplisſimi, & officia præclariſſima, ad indignisſimos qnosque deferentur, quæ vt ait S. Ioan. Chryſoſt. in c. 3. Eſai. pænam indicãt intolerabilem, ſuntq; argumentum extremę perditionis. Stabilis enim firmaq; protectio ciuitatum neutiquam conſiſtit in lapidibus, lignis, & mæniũ ambitu, ſed in prudentia & ſagacitate eas incolentium, quę tunc quidem ſi adfuerint, licet præſente hoſtium exercitu, ipſa tamen cæteris omnibus tutius communiunt atq; propugnant. Terrorem igitur eis injcient, ait ſacer Vates, quia Dominus deſtituet ciuitatem ſua protectione & cuſtodia, non modo è medio ſublatis bellãdi peritis, ſed abreptis etiam eis, qui pro poteſtate nouerunt exercere iudicia, qui quidem iudices nihil minus ſunt vſui moderandis ciuitatibus, atq; eiſdem tuendis ſunt bellatores. Igitur neceſſitate ſubditi eſtote, ait Paul. Rom. 13. non ſolum propter iram, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνειδησιν, id eſt, ſed etiam propter conſcientiã, & quid eſt, inquit Chriſoſt. Hom. 23. in Epiſt. ad Rom. non ſolum propter iram, non ſolũ quod Deo non ſubditus aduerſaris, neq; quod maxima tibi mala & à Deo & ab hominibus concitas, ſed quod etiam in maximis tibi benefacit magiſtratus, dum

&

mali ſint, magna ex eis capiatur vtilitas. Cogita apud te, ſi ij quibus ſunt crediti magiſtratus, eos rectè gererent, quam bene cum humano genere ageretur, ſed magiſtratus conſtituere fuit quidem Dei opus, quod autem improbi ad eos prouehantur, & eis non vt decet vtantur, eſt hominum improbitatis. Nullus ergo propterea, quod aliqui forte hoc noſtro tempore male vtantur, aut minus decore ſuo officio fungantur, ipſorum in eis maieſtatem, aut publicam quæ exinde in rempub. profluit vtilitatem, contemnat, ſed magis quilibet Deum obſecret, vt illos dirigat in viam ſalutis, vt ſibi & ſuo gregi diligenter prouideant, bona conſulant, malaque auertant, alioqui longè atrocius nobis ex ſupradictis malnm timendum eſt, ne ſcilicet dum Eſa. populo omnium miſeriarum colluuionem ex Dei cõminatione prędicit pro adoleſcentulis illis, quorũ ætas nulli vnquam calumniæ ſubijci debet, impoſtores, cauillatores, pfidosq;, principes accipiamus. Sic. n. ſeptuaginta illud (effæminati dominabũtur illis) vertunt, & illuſores dominabuntur eis, qui ad captandam gratiam populi lenociniis verborũ vſu quaſi obtento populum detrudent in miſerrimam cacodæmonis ſeruitutem, quiq; opinionis & priuati conſilii ſui rationem ſequentes, contempto veri Dei cultu, idololatriæ labe inficiunt, ac ſẽſim quos defenſores & propugnatores habuiſſe debuimus, vindices & vltores ſeueriſſimos, in nos experiamur, quales in libro Iudicum poſt ioſuem alioſq; Dei veros cultores extitiſſe legimus, qui licet parem cũ Ioſue aliiſq; Chriſtianis principibus, qui iam perfuncti erant, poteſtatem acceperunt, diſſimili tamẽ religione ac pietate præditi, extiterunt, non quod Dei nomen omninò ignorarent, ſed quod eo modo

do, quo ipsum agnouerunt, non coluerunt, qui omnes abiecta vera religione, instituta ceremoniasq; Israelitarum, non ex Zelo & corde sincero sed ex quadam consuetudine & imitatione aliarum gentium inierunt; de quibus testatur propheta, dimiserunt dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra AEgypti, & secuti sunt Deos alienos, deos quoq; populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos, & ad iracundiam concitauerunt Dominum.

Ergo sicut ex principum pietate uitaq; superstite salutem, pacem, honestatem, rectam disciplinã, omnem deniq; felicitatem consequimur: ita interitum rerumq; omnium confusionem, si vel desiderentur in repub., vel improbotum imperio gubernentur, quod ibidem historia Iudicum exprimit, dum prosequitur, & suscitauit Iudices Dominus, & liberauit eos de manu deprædantium.

Quid non funestum, atrox, acerbum accidit, quãdo superioribus annis Catholicus iuxta & glorioſus Rex Hispaniarum, PHILIPPVS SECVNDVS, extremum vitæ diem obiret, profectò vt tunc totius Christianæ religionis machinam vnicumq; fundamentum corruisse videres?

Sic quãdo anno 1590. Mensis Iulii die x. ab humanis Sereniſſimus Archidux Austriæ CAROLVS, (quod mihi notiſſimum est, semperq; lamentabile uenit) in metropoli sua Græcensi naturæ debitum persolueret, tamquam subactis firmisſimis fidei lateribus, totam compagem interiisse diceres. sic illius regna dissensionibus, hæresibus, tumultibusq; huc illucq; agitata, sic huius CAROLI scilicet prouinciæ, intestinis difficultatibus, & domesticorum hostium insidiis maximè in lubrico versatæ sunt. Quis

vero

uerò ex tantis turbinibus, turbulentisſimisq; tempeſtatibus, auitæ religionis nauigium ſubſiſtere poſſe autumet, aut quis tam minacibus tonitruis fulminibusq; frequentatis, ipſam poli axem decidere nõ ue reatur? Sanè repentinam illam, medioq; inter florentis ſuæ ætatis annos præoccupatam CAROLI mortem, etiam tacentibus hominibus, aliorum, ſyderum ſupernorum acies illachrymata eſt, vt non mirum videatur, ſi ob tanti principis diſceſſum, plurima incommoda, fideiq; Chriſtianæ vel maximus defectus, vel multa eiuſdem confuſio exoriatur, quibus tunc Sereniſſimus Archidux FERDINANDVS, vt pote propter abſentiam in prouinciis, annorumq; defectum, ſub curatoribus & tutoribus cõſtitutus, commode obuiare non potuit, patriſq; ſui dulciſſimi quaſi inter mortuam fidei Catholicæ recuperandę eiuſq; propagandæ, induere voluntatẽ, Vnde meritò quis rem deſperatam, deprædationi, crudeliſſimoq; Chriſtiani nominis hoſti omnia aperta peruiaq; exiſtimauit. Verum ad tempus conniuendum erat, paulatimq; ſilendum: nec dum quidem maieſtatis ſuæ amplitudinem, perpetuũq; heroicę virtutis ſplendorem amiſit FERDINANDVS, quin potius, quo maior ſibi ſuiſq; relictis prouinciis de hoſtibus perſecutio videbatur, eò magis is redditur animoſior & illuſtrior, nec magis tollit illius potentiam & maieſtatem breui aliquo tempore, uel obſcura fidei Catholicæ profeſſio, uel rara adhuc de hoſte victoria, quam diei dignitatem nubium repentina denſitas, aut ſolis interdum plenior eclypſis. Vnde non male ſibi illud Athanaſij vſurpare poteſt, quod ille cùm ab Imperatore Iuliano magis in dies uexaretur, populo mæſtitia & dolore affecto dixiſſe perhibetur, Ruffin. Eccleſ. hiſt. lib.

1.c.34. Nolite fieri conturbati, quia nubecula est, & cito pertransit. atq; adeò ad ipsum, quod olim S. Hieron. in dialogo aduersus Luciferian. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia moritur, tranquillitas redijt, id est, omnes Episcopi, ait idem Hieron. atq; præsbyteri, qui de proprijs sedibus fuerāt exterminati, per indulgentiam noui principis ad Ecclesias redeunt.

Qu āaptè eiusmodi elogia FERDINANDE tibi adscribi possint, reluctantibus etiam inimicis tuis, inferius patebit, restituit enim Deus robur viri & splendorem principibus, quos diligit, ita vt fortiores resurgant, prestantiq; victoribus victoria imperent, ait S. Gregor. lib. 14. in Iob. 15. sic enim sæpe & sæpius fieri consueuit, vt qui vero pietatis studio accensi & inflammati, suis præclarè factis, non modò reipub. statum cohonestent, sed etiam firment, & vndiq; muniant, quamobrem, ait, eniten dum orandumq; est in primis, ne peruersis moribus populi rempub. fædare possint, ita sanè deinde curandum, ne optimis principibus & rectoribus respublica destituatur.

CAPVT XII.

Quod bonus Princeps per populum à Deo peti debeat.

EGREGIVM aliquid ac singulare propeque diuinum est regum principumq; dominatio, quod omnes omnium temporum nationes id obseruasse deprehendimus, non solum ea ratione, qua principes dicuntur, sed ea qua sibi diuinitus concessa potestate, longè latèq; dominantur, Deiq; ministri

ſtri conſtituuntur, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, 1. Pet. 2. idq; tàm veteres quã recentes philoſophi dixerunt, vno ore vnaq; mente, reipub. moderatoribus aliud nihil propoſitum eſſe, quàm beatam ciuium vitam, quam opibus firmare, copijs locupletare, gloria amplificare, & honeſtate curare debent.

Cicero 5. de Republ. alloquens Cæſarem, te ſpectas, inquit, erras. non enim rex eligitur, vt molliter ſeſe curet, ſed vt per ipſum ij qui elegerunt, benè beateq; viuant, & Ariſtot. 8. polit. c. 10. hac vna in re maximè principem à tyranno differe ait; quod ille ſubditorum; hic verò ſuum ipſius commodum ſpectet. Scias igitur, inquit Seneca, de clementia, quisquis nomine & dignitate regia cohoneſtaris, ciuium non ſeruitutem tibi traditam, ſed tutelam, nec rempub. tuam eſſe, ſed te Reipub.

Verus ſanè bonusq; princeps non ex muneris amplitudine licentiam vſurpet, nec ſtupris & adulterijs principem agit; ſed ad curas intentus vigilat, probè ſciens, maximo imperio maximam curam ineſſe ob id omnium ſomnos ſua vigilantia defendit, omnium otium ſuo labore propugnat, omniũ delitias ſua induſtria fouet, omnium deniq; vacationem ſua occupatione protegit, & ideò ſibi quidem licet aliquando remiſſum animum habere à curis, nunquam tamen ſolutum. Hoc verò totũ, quanto cum ſubditorum fiat bono, quis non videt?

Diuinus ille Plato vt Rempub. ſuam, quam animo potiùs effinxit, quàm reipſa conſtituit, omnibus numeris abſolutam redderet, cum videret in primis eam optimis legibus ornatam, hasq; ab optimis magiſtratibus protectas eſſe debere, vtrumq; verò difficile eſſe. Si enim reliqua corporis fortunæq; bo

na inter Dei dona constituuntur: non minorem lo cum habebit illud, quo non solum corporis sanitas, diuitiæ, ciuitates & liberi, sed animę quoque dispositio, rectaq; in Deum affectio custoditur, & dirigitur, ideoq; donum spirituale, longèq; præstantius alijs, vtpotè ex Dei ordinatione hominibus commissum, non enim aliunde est potestas, quàm à Deo, & qui Dei potestati resistit, Dei ordinationi resistit, Rom. 13. Cùmq; omne datum optimũ, & omne donũ perfectum de sursum sit descendens à patre luminum, profectò superioritatem hanc non temerè à Deo Christianæ reipub. moderatoribus concessam dicemus, si aliorum donorum ad ipsam comparationem faciamus: neq; inficias imus alijs hominibus plurima à Deo concessa esse beneficia, atq; indies maiora iuxta cuiusq; meritorum dispositionem accumulari, quæ sicut ad singularem cuiusq; hominis necessitatem dispositа, naturæq; suæ sunt conuenientia; ita hoc vnum est, quod non vni solum sese accommodat, sed toti communitati ex æquo & iusto præsidet.

Vtilissimum fuit singulis quæ sibi sufficere nequeunt, ab aliquo iuuari & conseruari, & id melius dicitur, quod cùm sibi sufficit, etiam alijs prodesse potest, ex quo magis bonum communicatum est, eò melius præstantiusq; est. Hæc verò est legitima à Deo constituta potestas, quàm nedum à Deo cõstitutam agnoscimus, sed quoq; apud nos constituendam petimus, eamq; reuereri, & obedire admonemur siue regi quasi pręcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis; (& hæc omnia propter Deũ facimus) quæ verò à Deo sunt ordinata sunt, & principes non sunt timori boni operis sed mali, Vis autem non timere, inquit Paulus, potestatem, bonum.

„ num fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim mi-
„ niſter eſt, ſi autem malum feceris, time, non enim
„ ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt,
„ vindex in iram, ei qui malum facit.

Hæc contrapoſitio nobis duo inſinuare videtur, & poteſtatem à Deo eſſe, & eandem diſcretam ab alijs hominibus, quorum alterum ex illo, quod Dei miniſter eſt, conſtituitur, alterum verò quia malũ punire, bonumq; remunerare debet, ſignificatur. Non enim cuiuis licitum eſt imperare, nec omnibus ſubeſſe, quare etiam hæc à ſe inuicem diſſidẽt, nec vnquam ſeſe compati poſſunt. Vnde rectè inferimus: Omnibus illis quibus obedire & ſubeſſe ex ſtatu ſuo competit, eiſdem etiam competere, vt à Deo precentur tales rectores, quibus quietè & pacificè ſubeſſe poſſint. Cuiuſmodi olim à filijs Iſrael factum legimus, quando in Aegypto à Pharaone oppreſſi, flagellisq; cæſi, ad Dominum clamauerunt, ingemiſcentes pro liberatione, petentesq; inſtãter ſaluatorem & ducem, qui eos liberaret à captiuitate iſta, & Deus audiuit gemitum eorum, & recordatus eſt fœderis quod pepegit cum Abraham, Iſaac & Iacob, & reſpgxit Dominus filios Iſrael, & liberauit eos. Exod. 2. dum vero Dominus hanc filiorum Iſrael redemptionem inſtrueret, præcedentibus ſignis eandem confirmauit, & ad eandem Moyſen communitum plenaria poteſtate prçfecit, à qua legatione diu multumq; ſe Moyſes extricare voluit, vt quod impeditioris linguæ, & quod Pharao ipſi non adhibiturus eſſet fidem, intelligens vtiq; grauiſſimum atq; ſolicitudine pleniſſimum eſſe opus Dei perficere, cui ne quis temerè ſeſe immiſceat, aut nefariè ſibi adroget, niſi qui legitimè ad hoc vocatus fuerit, alius propheta monet, maledictionemq;

contra-

contrafacienti comminatur.

Si quis verò malitiosè hanc eandem potestatis superioritatem cuiuis ex populo conuenire contendat, is non tam se subditum, quam petulantem omnis potestatis & ordinationis naturalis diuinæque demonstrabit contemptorem, quid enim sibi populus hanc potestatem arrogaret, quo nil insipientius, nihilq; insolentius, sine consilio in præceps ruit, vagus, incertus, inconstans, variabilis, in periculis timidus, in seditionibus audax & temerarius, difficile componitur, ad hoc pertinet, quod sit pronus ad malum, Deiq; offensam, & sui ipsius ruinam, vt
„ patet ex lib. Iud. c. 2. Cumq; nos Dominus (inquit),
„ Iudices (id est principes) populo suo Israel suscita-
„ ret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & au-
„ diebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæ-
„ de vastantium: postquam autem mortuus est Iu-
„ dex, reuertebantur, & multò faciebant peiora, quã
„ fecerant patres eorum, sequentes Deos alienos, ser
„ uientes eis.

Testantur vulgi huius mutabilitatem affectibusque plurimam indulgentiam, exempla sapientissimorum Iudicum, & principum ab eo electorum, qui suspicante populo se perditum, dum suis nollẽt irrationabilibus consilijs parere & decretis, in maximo mortis periculo extiterunt, alii verò vix suspicionem proditionis euaserunt, quemadmodum refert Herodot. lib. 2. quod Acharnenses, qui cùm non minimam partem Athenienſium apud se esse existimabant, & ipsorum terra vastaretur, ad exeundum Athenienses vrgebant, omniq; ex parte ciuitas tumultuabatur, & Pericli irascebantur, planè immemores eorum, quæ ipse prius suasisset, conuitiantes etiam, qui cùm esset Dux, non tamen eos

educe-

educeret, putantes eum omnium quæ paterentur, authorem. Simile est in sacris literis de populo Israelitico contra Moysen insurgente & murmurante, quasi illos abduxisset, vt morerentur in deserto, Num. 11. ita est populus ex leui causa facile superbiens, & virorum sibi vtilium tempore felicitatis contemptor, tempote verò aduersæ fortunæ ingruentis vili ac deiecto animo, pauidus, & consilii incerti. Quid ni? dum enim sibi appetit quæ non conueniunt, ea quæ sibi nociua sunt, euenunt. Meminisse debet plebs & multitudo suæ vocationis debitiq; officij erga Deum, aliorumq; Dei hic in terris vices gerentium, quod fit considerando, quæ sibi, quæ regibus, quæ magistratibus, quæue communia his simul sunt, vt ait Iustinus ex trogo lib. 3. ad institutionem reip. factam à Lycurgo, & populum, inquit ille, ad obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum firmauit, parsimoniã omnibus suasit, existimans laborem militiæ assidua fragalitatis consuetudine faciliorem fore, emi singula, non pecunia, sed cõpensatione mercium iussit, auri argentiq; vsum, velut omnium scelerum materiam sustulit, administrationem reipub. per ordines diuisit, regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia per annuas successiones, senatui custodiam legum, populo sub legando senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Id etiam ordo naturę deposcit, vt omnia certa quadam symmetria intra se se colligantur, certis legibus subiectionis & regiminis temperentur, ne confusione breui præstantissimi & amplissimi orbis opus consumatur. Sicq; imperare ait D. Petrus apud Clementem lib. primo recognit. regere, subiici, regi & gubernari, consentaneum est iuri naturæ, diui

noq;

noq; & humano, gentium & ciuili conuenit. vt aliter pro monstro haberi possit, quale fuit illud apud Romanos, quando deperditæ libertatis specie, sibi magni alicuius Imperii faciem effinxerunt, lege illa Valeria à Pub. Valerio poplicola post exactos reges primo consule lata, quæ constituit, vt si quis magistratus ciuem necaret, verberaret, aut mulctaret, is ad populi iudicium vocaretur, nihilque damni à magistratu acciperet, donec populi iuditium constituisset. Hacque aliæ longe peiores leges crescente populi malitia subsecutæ sunt, ut quod pro populi maiori libertate quinque de plebe, quot annis tribuni crearentur, quibus incumberet pro populo aduersus consules opem ferre, ipsi vero tribuni immunes & inuiolabiles permanerent, isq; honos non alteri competeret tribunitius, nisi plebeis. Quæ omnia irritamenta malorum, & occasio apertissima delinquendi fuerunt, supplitiumq; ob delicta euadendi.

Tale nostris temporibus non minus pestilens, ferox, atrox malum reipub. Christianæ irrepsit, quod non solum in pelliciendis rudibus, & ignaris populis obuersatur, sed etiam à catholicæ ecclesiæ debita vestaq; obedientia in Principibus ac viris primatibus debacchatur, non inscium, si ab obedientia desciuerint, facile tunc vniuersam religionem rituram, hocque proh dolor effecit, vt nulla sit apud eos sacræ illius priscæ religionis facies, nullum ecclesiasticū cœlestis sapiētiæ peculium, nullus castæ, & incontaminatæ traditionis thesaurus nullo patrum reuerentia decretorum, nullus Diuorum, atq; hominum Rex, ita omnia inani suo nugaci, & contumaci nouæ religionis velamento obumbrauit, hisq; suis pernicioſissimis suasionibus dissentionibus

nibus & nouitatibus proceres, & optimates viros pellexit, vt fucato quodam, & inani vel conſeruandi vel propagandi ſtatus ſui ſtudio, turpiter deluſi, vniuerſæ penè illorum reipub. domorum, arcium prædiorumque angulos occupauit, totamque plebem nefario ſuo ſcelere fædiſſimè fędauit, vt mirũ non ſit, ſi deinceps eiuſmodi, at nimis ſero, proprio incommodo ſuorũ ſubditorum exilio, ad extremã, vel infamiam vel ſtatus ſui mutationem, vel priuationem redigantur; Quod totum non aliunde originem habet, quam quod ſuis ſuperioribus contraire moliuntur, illorumq; dictis & factis repugnare. vnde populum in ſui amorem alliciunt, tributorum releuationem promittunt religionem liberam dicunt, prætextumq; iniuſtitiæ religionis obtrudunt, ſeque ſuoq; poſteros immunes ſemper fore pollicẽtur, ex quo populus aura leuior & fumo flectitur, cõmouetur, & modũ excutiendi iugum legitimi principis, & ſacerdotum catholicorum, libertatemque quam iſti proceres illorumq; anteſignani educũt, quærit, quo facto coniurationes fiũt vel ſemper maxime ſuper prætextum religionis: accedunt ſubſcriptiones, collegia factionum, apparatus taciti bellorum, & ſubitò non præuidentibus principibus tãta flamma emicat, quę diu extingui nequit, & ſic paulatim extinguit rebellionis ignem.

Extat huius rei recens memoria quando in ſuperiori Pannonia ad Oenum Fluuium, quatuor ab hinc annis furens quædam ruſticorum turba, facta in proprios damnos rebellione, in apertum campũ prorrupit, cædemq; & extremam omnium vicinorum ſuorum, niſi in ſuam factionem cõſpirarent minitata, ibique viliſſimæ ſortis hominibus ad ſe accitis, ducumq; ad inſtar habitis, exercitaq; in circum-

iacentes plagas plurima strage, depopulatisq; aliquot monasteriis? transeuntibusq; itidem partim depredatione, partim verberibus ad peram, & saculum & baculum excussis, ab Imperatore Rodulpho nostro glorioſissimo sensim collecto milite, isthincque immisso, illis minime expectantibus, debitas sue temeritatis pœnas exoluerunt, sero enim medicina paratur, cum mala per lõgas inualuere moras.

Sapienter idipsum prouidit Serenissimus Archidux FERDINANDVS, quam difficulter multitudo in vnam coalescat sententiam, quamque in eandem descendens non diu in eadem perseuerer, dum nuper in superiori STYRIA aduersus quosdã Slamingenses suæ ditionis ciues, quos iam iure iurando sibi suisq; legibus obtemperantes credidit, interim tamen, vel modico vento insolentiores facti, ruptoque sacro iure iurando, serenitatis suæ iugum suauissimum excutere, sibiq; legem nouum, & beneplacens euangelium condere attentarunt, vel leuiter saltem commouit, penitusq; subegit, vbi illi imminentem Principis manum metuentes, eadem qua leuitate eructare præsumpseruut, ad se ipsos redierunt, pacemq; & vitam poscentes, priori excusso fœderi libenter se se submiserunt.

Non ergo sibi potest populus imperare, neque alijs imperandi leges præscribere, cum quod ad arbitrium plebis factum est semel, ipsimet diu nõ placeat, sicut & administrationes per populum factas, aut nunquam perseuerasse, aut non tam populi, quã uirorum à populo electorum, vel comprobatorum consilio, & industria constitisse legimus, vbi autem suo voluerunt regere arbitrio, statim reciduasse.

Docendus est populus non sequendus, & quod

licear

ficeat quidue non, commonendus dist. 62. c. Docendus.

Vidimus Dominum nostrum Iesum Christum tanquam Regem summa cum animi alacritate à Iudæis exceptum, ingredientem Ciuitatem Ierusalem, & paucis post diebus, eundem publicè ad crucis supplicium postulatam, vbi ipsa experientia didicimus, quantum pernicioſa sit populi viuendi libertas ex arbitrio, quod Moyse absente coegit Aaronem sibi conflare idolum oblitusq; Dei sui Creatoris, à quo infinita ante beneficia accepit eaque recentia, postmodum hostias & victimas obtulit, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerũt
„ ludere cum blasphemia, Exod. 32. Hi sunt Dij
„ tui Israel qui eduxerunt te de terra Aegypti quod in vltum non reliquit Deus, sed seuere vindicauit: adeo præposterus ordo est dicere, populum potestatem habere sibi leges condere, regemque, & Principem constituere, quod nullum istius concessionis, neq; in veteri, neque in nouo testamento mentionem hactenus vidimus, sunt enim reges & Principes vel ex successione, vel ex lege, vel consuetudine, & præscriptione, vel ex patientia, & tyrannide, ex quibus olim quidem regia lex facta fuit à populo Romano, ex cuius prescripto sibi imperarẽt Principes vt apud Athenienſ. Thucidides scribit lib. 1. & iterum quia omne suum imperium trãstulit in Principe l. 1. de constit. Princep. ff. & l. 1. instit. de iut. nat. gen. & ciuil.

Sic Romulus legitur initio regni, vt populo applauderet easdem fere leges, quas Lycurgus Athenien. posuisse inter quas populo permisit magistratus creare, leges sancire, & de bello referente rege decernere: Halicarnasseus lib. 2. Iulius tamen Cæ

sar hoc illi ius populo eripuit, vt scribit Surlan. tranquil. in eius vita, cap. 41. cui cum Augustus succederet, ei suasit Mecænas vt quidquid populus haberet, plane adimeret, sic factum est, quod regnante Tiberio, non solum vis conciliorum, sed etiam potestas condendarum legum, de populo translata fuit, Cornelius tacit. primo annal. Vnde lex Iulia de ambitu cessauit, qua is tenebatur, qui sine iussu Principis bellum gesserit, delectum habuerit, exercitumq; comparauerit, vt patet l. 1. ff. ad l. Iul. maiest. & quamuis Dominus noster aliquot elegerit ex populo, quibus potestatem fecit docendi, ligandi & absoluendi, tamen hanc populo nunquam dedit, quia magnum discrimen reperitur inter hæc duo, eligere de populo, & populo potestatem concedere, electio namq; fit de pluribus inter eos, qui digni censeantur, & ab illo qui habeat rationem, & iuditium discernendi, idoneos à non idoneis, & digniſſimum à minus digno, at vero quia in populo plerunque & ferè semper meliores non sunt, nec discernere possunt inter bonum & magis bonũ, ideo etiam carent ista potestate, & ex his Deus & pater Domini nostri Iesu Christi elegit, & habitauit, dignosq; aliquos sua potestate effecit, quibus id muneris, præ alijs communicauit, nunquam vero ipsi & soli populo iudices creandi potestatem & officiũ commissum fuisse reperimus.

Nec illud potestatem aliquam arguit in populo quod eorum consensu plerunq; (quamuis & id raro fiat) reges & principes instituantur, cum non tã ad directionem illorum hoc spectet, quam ad subiectionem Principi, vt scilicet sciant & cognoscant cui cura sua teneantur, hocque patet ex Dei instructione, qua populum sibi singularem effecit, in qua

nunquam

nunquam populo permiſiſſe legimus, ſibi principes eligere, vel ſeipſum regere, ſed vocato Moyſe & præmunito poteſtate deſuper iuſſit ei & ad Regem Aegypti & ad populum venire.

Sic ipſe Moyſes iam moriturus, ex Dei admonitione totum populum congregauit, non ad hoc, vt
„ regem ſibi eligeret, ſed prouideat (inquit) Domi-
„ nus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit
„ ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare
„ ante eos, vel introducere, ne ſit populus Domini
„ ſicut oues abſq; paſtore.

Ecce intenta ad Deum precatio pro bono Principe, exemplo quidem Moyſis edoctus populus, (cui magis opus eſt boni Principis cura) ad deprecandum, at ipſius Dei reſponſo firmatus ad accipiẽ
„ dum, vnde dixit Dominus Deus tolle Ioſue filium
„ Nun, virum in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manũ
„ tuam ſuper eum, qui ſtabit coram Eleazaro Sacer-
„ dote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cũ
„ ctis videntibus & partem gloriæ tuæ, vt audiat om-
„ nis Synagoga filium Iſrael. num. 27. Ioſue 1. ecce diuinitus data Principibus poteſtas eligendiq; forma, non ad ſingulos pertinens, ſed quibus à Deo datum eſt, vt ſciant eligere, quem voluit Deus. Sicut enim ante Moiſes à Deo immediate mandatum accepit, vt regeret educereq; populum ſuum ex Aegypto, ſic quoque eandem poteſtatem committi voluit Ioſue per Moyſen, nõ aliud tamen præterquam Moyſes, accepit Ioſue, ſed alio modo atque ordine, quamuis poſtmodum ipſe Deus locu-
„ tus eſt Ioſue. Ioſue. c. 1. Surge & tranſi Iordanem
„ iſtum, tu, & omnis populus tecum in terram quam
„ ego dabo filijs Iſrael (& poſt pauca) ſicut fui cum
„ Moyſe ita ero tecum non dimittam, neque relin-

quam

„ quam te, confortare, & esto robustus, sic omnis du
bitandi locus reclusus fuit de legitima Iosue in po-
pulum à Deo accepta potestate, electionisque
ordine.

Hanc ipse potestatem alio in loco Deus corrobo
rauit cum scilicet prouidit aliquando futurum, vt
terram promissionis acciperet populus Dei, ibique
necessarium fore sibi de administratore prospicere,
„ modum proposuit dicens Deut. 17. Cum ingres-
„ sus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit
„ tibi, & possideris eam, habitabisq; in illa, & vixe-
„ ris, statuam super me regem, sicut habẽt omnes per
„ circuitum nationes, eum constitue, quem Domi-
„ nus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorũ,
quo loci aperte ostenditur populo postulationem
regis, non vero electionem concessisse, quod sequẽ
„ tia ostendunt, non enim poteris (inquit) alium ré-
„ gem facere. Vnde postmodum idem populus regẽ
sibi à Samuele dari petijt, primo Reg. 8. nec aliud
expostcebat Moyses, num. 11. quando videns perui-
caciam populi nauseamq; super manna, quod illis
„ de cœlo pluit Dominus, dixit. Et cur imposuisti põ
„ dus vniuersi populi huius super me? nunquid ego
„ concepi omnem multitudinem hanc? non posum
„ solus sustinere omnem hunc populum quia grauis
est mihi? & quod Moyses septuaginta illos viros
elegit non populus fecit, qui pondus & partem sol
licitudinis cum ipso ferrent, vnde sequitur ibidem:
„ congrega mihi septuaginta viros, de senioribus
„ Israel, quos tu nosti, qui senes populi sint, ac ma-
„ gistri, & duces eos ad hostium tabernaculi fœde-
„ ris, faciesq; ibi stare tecum, vt descendam, & lo-
„ quar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamq; eis,
„ vt sustẽtẽt tecũ onus populi, & tu nõ solus graueris.

Accedit

Accedit quod initio huius cap. diximus, quod ſubditis plura à pluribus, peneque vniuerſis creaturis pericula immineant, neque à Domeſticis ſuiſq; vicinis infeſtentur ſolum, ſed ab exteris plerunq;, tam in corpore quam in eorum met bonis inficiantur iniuria, quę omnia populus ſuo marte, Conſilio, & authoritate propulſare non poteſt, præcipuè quod in ꝓpria cauſa nullus ſibi ius dicere poſſit, nõ enim ſibi curæ eſt legum & armorum ſcientia, ſed proprium cuiuſq; faciendi opus ſuum cogitatio, vnde ſibi panem ſuum conquirat, neceſſariisq; familiam curet, quare aliquis neceſſario eſſe debet, qui iſtorum curam habeat, alioqui plures familiæ in partes diſcinderentur, bona diriperentur, fieretque diſſolutio totius reipub., Et ſi vero plurimum ad hoc valeat ſuperioris authoritas, cõſiliumq; ſenex, quia tamen illa omnia tanquam tutiſſima tutela armis cõſeruantur, inq; ſuo robore continentur, maxime ad Principes & moderatores rerumpub. pertinet armorum exercitatio, quorum vſus uti legibus priuilegiatus eſt, ſic nulli priuatorum, nedum attrectare ſed nec quidem exercere licet; quorum armorum uſu olim ſibi filii Iſrael regna, & nationes terræ prõmiſſionis ſubiecerũt, legesq; populo dederũt iuxta voluntatem ſuam, & non ſubditorum, eo quod bello ſubacti ſui iuris amplius non erant, & colonias ſibi prout placuit, conſtituerunt.

Eiuſmodi armorum lex abipſo Deo præſcripta
„ fuit, Deutor. 20. ſi quando (inquit Dominus) acceſ
„ ſeris ad expugnandam Ciuitatem, offeres ei primũ
„ pacem, ſi receperit, & aperuerit tibi portas, cun-
„ ctus populus qui in ea eſt ſaluabitur; & ſeruiet tibi
„ ſub tributo, ſin autem fœdus inire voluerit, & cœ-
„ perit contra te bellum, oppugnabis eam, cumq; tra-

diderit

„ diderit Dominus Deus tuus illum in manu tua, per
„ cuties in ea omne quod generis masculini est, in ore
„ gladii, absque mulieribus & infantibus, iumentis
„ & cæteris quæ in ciuitate sunt, & omnem prædam
„ exercitus diuides.

Prohibuere Romanorum Principes propter malas seditiones & contentiones arma, ne penes priuatos essent, neve priuatis venderentur, neque alibi quam in publicum sacrum armamentarium reponerentur, Iustin. in nouel. 85. ubi rationem addit, quia Deus inquit commisit subditos Principibus vt illæsi & sine calumnia custodirentur, illis enim gladius commissus est, quando dictum fuit Petro, conuerte gladium tuum in vaginam, qui enim gladiū accipit, gladio peribit: ipsi uero Principes gladium portant non sine causa, quia ministri Dei sunt, ipsi que soli, vitæ & necis à Deo acceperunt potestatē, vt deinceps per se, vel suos ministros, quando oportet, non temere, & contra quos oportet, eo utātur, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum.

Apertissimum itaque est omnem humanam creaturam tam ex iure naturæ & diuino, quam gentiū, & ciuili legitimis Principibus & reipub. directoribus subiici vt que iuste quietè, & pacificè ab eisdē regantur, defendantur & custodiantur, enixe à Deo precādum, vt tales sibi concedat, quibus se suumq; vitam bonaque omnia tuto committere possit, grauissimumq; præterea facinus admittere illos, qui sibi quicquam de potestate quam non habēt, attribuunt, falsoque titulo coram aliis iactant, Vnde omnis religionis contemptus, Deique pariter, & hominum despectio, omnis denique uitiorum colluuies progeneratur, quorum bonorum pieque in Domino morientium vti uita est pro munere tanquam

æterna

æterna ſic contemptoribus omnis tribulatio, angu ſtia, mors, denique ſempiterna condemnatio.

CAPVT XIII.

An Principatus ſit immediate à Deo vel ab hominibus.

EX ijs quæ ſupra diximus, facile quis mente aſſequi potuit, præſentis quæſtionis elucidationẽ, ſi enim Dei donum eſt principatus, & à Deo per populum expeti debet, facile ſequetur idem à Deo prouenire, & non ab hominibus. Nihilominus quando ſecus eſſe poſſet alicui videri, nos hic eandem, quantum ſat erit propoſito noſtro, expediemus.

Quia vero plures occaſione huius argumenti quæſtiones à pluribus excitari ſolent, quales ſunt, an Chriſtus Rex fuerit temporalis, & poteſtatẽ eiusq; vſum hic in terris exercuerit? Secundo an in collatione clauum regni cœleſtis Petro, & ipſius ſucceſſoribus eandem donauerit? Tertio an ita in Vicarijs Chriſti reſideat, vt neceſſario ab illis in Imperatorem, & alios reges & Principes deriuetur, quibus ommiſſis (hæc omnia iuditio, cum omni ſubiectione, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubijciendo) ſolum dicemus poteſtatem ſecularem non ſolum qua parte iam poſt Chriſtum natum, apud Imperatores, & Chriſtianos Principes manet, perpetuoque vſu obuerſatur, ſed etiam illa, qua ante Chriſti aduentum in carnem, apud infideles ex naturæ inſtinctu, & iure gentium exercebatur, à Deo Optimo Maximo eſſe & dependere. Secundo illam eandẽ poteſtatem ſecularem pro miniſterio Eccleſiæ Chriſti eſſe, eandemq; quando & quoties eidem San-

S ctæ

ctæ Romanæ Ecclesiæ visum fuerit, in regibus & Principibus, dirigi & accommodari.

Quibus sic positis cum distinctione rem aggrepiemur ex hoc, quod duplex est Dominium seu principatus, naturale alterum, alterum vero politicũ, siue ciuile, quorum primum competit alicui à natura, vt rem aliquam habeat; & eadem vtatur cum quadam superioritate, & authoritate ad eam, quale est ius patris super filios, & viri super vxorem, & Domini super seruũ, quemadmodum loquitur Aristot. primo polit. tale namque ius competebat homini à natura, atque ob id naturale dicitur. Politicum siue ciuile illud est, quod quidem supradicta authoritate informatum est, non autem prouenit à sola natura, sed vel per adinuentionem & collationem humanam, vel per diuinam spiritualem & supernaturalem dispositionem.

Cuius distinctionis membrum primum ita proposito nostro accommodatur, vt vel plane ex illo sumptum esse videatur, vel saltem non plurimum ab eodem distet, cum enim Deus omnibus rebus (vt supra primo cap. dictum est) per naturam indiderit facultatem, & potentiã, non solum se conseruandi, sed etiam suis contrarijs resistendi, magis id hominibus ad similitudinem suam efformatis, ne dum hoc, sed etiam plus concessisse dicendum est, ita vt se non solum conseruent tueanturque, quantum ad incolumitatem temporalis salutis, verumetiam per eiusdem gratiam imitentur prosperitatem spiritualis, quam facultatem vtique homines vsurpare sibiq; in bonum accommodare non poterunt, nisi ad inuicem conuenirent, vnde factis adinuicem congregationibus, sibi mutuo melius sufficiebant, pariq; officiorum studio coadiuuabant,

bant, quibus vnitionibus sic initis, eodem instinctu naturæ sibi vtilius esse arbitrabantur, si non ex suorum similium persuasione; sed vnius alicuius, ex omnium illorum votis electi viuerent, regerēturq; arbitrio, cuius ingenio hostes propellerentur, & malefactorum audacia comprimeretur. Fuit enim aliquando tempus, quo exigua regna fuerant angustique publicæ potestatis fines, vnoquoque rectore suis contento, & nihil aut parum à vicinis desiderante, vnde tot antiquitus reguli memorantur, qui hodie marchionis alicuius, aut comitis uices subirent, at vbi inceſſit dominandi libido, vicinos subigandi desiderium, & inanis gloria possidendi, effetari cæperunt homines ad bella, nationes nationibus commiscēri, noui viuendi modi excogitari, & sic paulatim ex malis moribus bonæ leges ortum acceperunt, quibus debiliores à fortioribus superati regna, reges, & imperia sibi constituerunt, qui postmodum successu temporis, per generationes & familias propagari cœperunt, lentoque gradu se se perfectiori modo ad rationem illam, qua diuinitus instructi, Deumq; vnum agnoscentes præparabant, vt tandem duarum potestatum spiritualis & temporalis ab vno Deo diuinitus inspirata ordinatio, in vnum quasi coaleſceret, se seque deinceps vberius ab vnitate illa, & ordinatione diuina in plures partes totius corporis ciuiles diffunderet, sicut vnguētum vt ait Dauid Psal. 135. quod à capite descendit in barbam, barbam Aaron, & in orami vestimenti eius.

Cuius rei principium dat Geneſis, exodus, & alij Sacræ Scripturæ libri, vbi politiæ humanæ à diuina per generationes domos, loca habitationum electa, familias, & ante & post diluuium generale

progressum animaduertimus, & quidem post diluuium Sem, Cham, Iaphet, filiorum Noachi generationes in alias familias, & gentes per orbem diuisæ sunt Gen. 4. 5. x. xi. sic ex duodecim filijs Iacob, ex duodecim Patriarchis, ideſt primis patribus totidem diuisiones generales exod. 6. num. 1. 2. & per decem prima capita primi lib. Paralip., qui omnes sub lege Naturæ uiuebant, & post lapsum primorum parentum, Hæcque multitudinis per orbē dilatatio ortum habet secundum imperfectionis hominis necessitatem, & exigentiam remediorum: Certū namq; est humanam naturam à primo creationis statu perfectam fuisse in sua spetie, suiq; cognitionem, aliarumq; rerum & creatoris Dei nostri habuisse perfectissimam, quibus omnibus rebus nomina dedit, iuxta suam vniuscuiusq; proprietatem, sibique quid, & proximo, quidue suo superiori Deo deberet agnouisse: post quam vero peccator effectus; subito ratio offuscata, sensus debilitati, atq; opus malæ concupiscentiæ, cum vitio suæ corruptionis abiuit in turpem quandam appetitionē, & iniquitatem, sicq; post reparationem, hanc infirmitatem suamq; volūtatem propensiorem ad peccandum effectam sensit, vnde continua lucta, & afflictio, qua boni meliores fieri, maliq; emendari dictante hominis natura, & ratione (quę quamuis obscurata sit & maculata tamen non abolita) quam maxime conantur.

Cuius naturæ instinctum secuta est Christianorū ars institutioq;. Quid enim aliud est reipub. status, quam multorum ciuiū in vnum congregatio? cuius vt varia est natura, mores, sic variam exigunt magistratus superioritatem, quæ se se omnibus ex æquo, & bono communicet: non enim diu constare pos-

sit,

set, nisi ab vno tanquam capite regatur, essetq; potius acephalon quam ordinatum, & politicū quid. Sic sane effectum est à natura primitus, vt homines sibi certos magistratus deligerent, quibus suam tribuerent facultatem, alioqui tota congregatio sine ordine & sine capite esset, neque vnum corpus representaret, neque ea prouidere posset, quæ expedirent, eademq; ratione respub. instructæ diuinitusq; magis edoctæ aliæ annales consules, aliæ reges in perpetuū, aliæ principes ad tempus certum, aliæ alias publicarum administrationum formas sibi instituerunt. Quod ordinationi diuinę conformæ est, totiq; Reipub. Christianæ salutare; Inde enim plurimum apparet vtilitatis, huiusq; fœlix originis initium, quod scilicet Respub. Principes creauit diuinitus ordinata & instructa, tam per leges quas natura in omnibus rebus ingenuit, vt mari, & ventis, quam quas indidit hominibus: Quomodo sap. 4. cap. eiusmodi diuinā prouidentiā cunctis ab initio adfuisse legimus, quo etiam cuncta gubernasse; quoniam dedisti (inquit) in mari „ viam & interfluctus semitam firmissimam, ostendēs „ quoniam potens es, ex omnibus sanare, in necessarijs necessarie, in contingentibus contingenter, in naturalibus naturaliter, à principio pertingens vsq; ad finem, & cuncta disponens suauiter.

Neque secundarum causarum Deus cursum interturbare vult, sed earum se accomodare actioni b. vt tamen non interrumpatur eius diuina voluntas, quæ primis à cunabulis toti rerum vniuersitati prouidet, vt increscentibus temporum spatijs, annorumq; curriculis edocta. magis magisq; perficiatur seq; diuinæ eius ordinationi quum potest, maximæ accomodet.

Ob id

Ob id D. Paulus ad Romanos 13. cap., authoritatē Principum, regumq; & omnium magistratuū ab ipso Deo esse indèque originem suam accipere
„ dicit, non enim (inquit) potestas est nisi à Deo,
„ quæ autem sunt à Deo ordinata sunt: ordinatio vero ista diuina voluit non tantum Principes inter Christianos, & in lege noua existere, sed etiam inter infideles, quia non solum Christiani Principes puniuntur, si abutantur Dei dono, sed etiam ethnici & gentiles, quod aliunde non prouenit, nisi quod ordinatione diuinę restiterunt, quandoq; Deo sic iubente, quandoque permittente (vt superius insi-
„ nuatum fuit) accidit; itaque qui potestati resistit,
„ Dei ordinationi resistit.

Clariùs hanc Dei ordinationem inter infideles insinuat idem Diuus Paulus, ad Timotheum 3. cap.
„ admone illos (inquit) Principibus & potestatibus
„ subditos esse dicto obedientes. per illas vero potestates gubernāri possunt plebes, in his quæ sunt iuris naturalis, gratia namque naturam non destruit, sed magis perficit, quod constat ex illo Danielis. 2. vbi legitur Deum cœli regnum & imperium dedisse Nabuchodonosor: Quia etiam in primordiis ecclesiæ omnes fermè principes infideles erant, ideo præcipit Diuus Petrus prima Pet. 2. hominibus, vt
„ subiecti sint omni humanę creaturæ propter Deū,
„ siue regi (inquit) quasi præcellenti, siue ducibus tan-
„ quam ab eo missis, quia sic est voluntas Dei, vt ob-
„ mutescere faciatis imprudentium hominum igno-
„ rantiam, (&) serui subditi estote omni timore Do-
„ mino, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis: non aliam ob causam quam ut Dei ordinationem debito honore, & veneratione, etiam inter infideles agnoscere doceat, & venerari, cui sic ab initio

tio fieri complacuit, vt Principes non constituerit alium ob finem in orbe terrarum quam ad constituendum populum in ciuili quadam honestate ferendumque leges honestati & publico bono conuenientes, vt docet Dom. Soto de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 2. 3 4. & 5. quo fit ut sic constitutus populus, nó solum sit cunctis superior princeps, sed etiam totius collectum corporis caput, totiq; sic eminens, vt totam etiam simul punire valeat, nulloque vnquam tempore per rempub. à iure regni expoliari, nisi in tyrānidē rudem vergat, atque tunc magis obedire oportet Deo quã hominibus, & legi naturæ, quæ superiori vt deferre docet, sic iuniori parcere, salutēq; & pacem acquirendi viam demonstrat, quod legibus antiquorum commune est, vt enim leges diuinæ ex necessitate obligant, & ex vtilitate tam subditos quam ferentes ita leges naturales, & illæ quæ inter populum ferūtur ex consensu & sponsione cõmuni, & ex consuetudine receptæ leg. 1. & pen. ff. de legibus.

Dum vero his legibus naturalibus vt ait Lactan. Firm. lib. 6. c. 8. aliquis derogat, vel in parte, vel in toto, ipse se fugiet & naturam hominis aspernabitur, atque hoc ipso licet maximas pœnas etiam si cætera vitia, quę putautur effugerit; & hanc sentẽtiam accepto fert Lactan. Cicer. ex eius lib. 4. de Repub. vt & idem Cicero primo de leg. lex inquit est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea quæ facienda sunt, prohibetq; contraria, & hæc lex omnibus ante seculis nata est, quam scripta lex vlla, aut quam omninò ciuitas constituta, vnde illud Demosthenis axioma legem esse cui omnes obtemperare debeant, cum ob plura, tum quod sit munus Dei, quod datum est Principibus à Deo mediante iure

iure naturę, vt eo vtantur ad populi bonum & Dei ordinationem.

Cui non repugnat populum sibi subiectum ita naturæ iuribus gubernare, illiusq; adminiculo ad clariorem Dei omnipotentiæ bonitatis & prouidentię considerationem allicere, sicut non repugnat, quod Sol, Luna, & Stella dominẽtur inferioribus, sanctissimiq; Dei Angeli ministerium nobis in laudem ipsius præbeant, huic enim rei confirmationẽ olim populo Dei ex Aegypto redeunti columna ignea, & nubes diei ducatum demonstrans exhibuit, inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, cognoscuntur, ad Rom. primo.

Ob hoc in reliquo populo manifestior facta est sapientia bonitas & benignitas Domini nostri, vbi non mundi huius elementis vtens; sed suamet præsentia & voluntate perfecta, constituit sibi reges & duces, cum quibus in spiritu suo conuersatus, multam de futuro ipsius filij in carnem aduentu promissionem concredidit, nec solum in ijs quæ populi causam concernebant, aut armorum susceptionis & depositionis significationem habebant, verum etiam in tota Repub. administranda illorum vsurpandam docuit authoritatem, tam de legibus quã religione, qua ipsi authoritate fruiti sunt. Philo Iudæus lib. 2. de temp. ob quod ego existimo factum, quod Romani olim Imperatores & Pontifices dicerentur, vtpotè quod amplissimam in toto Imperio authoritatem obtinerent, religionemque & leges cum armis & sapiẽtia administrarent. Qui reges perstiterunt vsque ad Samuelem, secundum legem à Moyse propositam, qui neque Diademate, neque sceptro vt nostri vtebantur, neque hæreditarij erant, sed partim authoritate prudentum

crea-

creabantur, partim ab ipso Deo excitabantur vocatione particulari, sicut ipsum Moysen, & post hunc Iosue constituit singulari priuilegio & authoritate, post Samuelem vero posuit Regem Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin. Iud.3. Actorum 13. quo amoto dedit illis Dauid Regem cui testimonium perhibens dixit, inueni Dauid filium esse virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Cuius & si regnum partim spirituale partimq; temporale fuerit, & ea quidem parte, qua spirituale representauerit Christū eiusq; in Ecclesia visibili repromissiones futuras,& signaculum Dei, idest, circumcisionem atque æternæ naturæ spem aliaque Christi ipsius hic in terris ad instar Regis officia & administrationem, vt sunt sacra instituere, & de ipso veram doctrinam tradere, falsa dogmata delere, humanas quasdam leges vel penitus tollere, vt diuinæ subrogentur, vel ita interpretari, vt diuinis sanctionibus nulla ex parte repugnent, salutem item largiri, iustitiæ amorem in animis infundere, & cœlestem subditis patriam donare; tamen ex illa parte qua temporale fuit, multo splendidius & magnificentius extitit, vnde illud minus apparebat, hoc vero cunctis palam factum
„ est, quod ipsius verba declarant, Psal.99. In matu-
„ tino (inquit) interficiebam omnes peccatores ter-
„ ræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes ope
„ rantes iniquitatem, & illud Psal. 31. Iurauit Do-
„ minus Dauid veritatem & non frustrabitur eum,
„ & de fructu ventris tui ponam super sedem tuam,
„ si custodierint filij testamentum meum, & testimo-
„ nia mea hæc quæ docebo eos, & filij eorum sede-
„ bunt super sedem tuam vsque in seculum.

Nemini autem dubium est hanc promissionem

in posteris Dauid secundum carnalem propagationem non adimpletam fuisse, quippe quod decem tribus, quæ à regibus ex posteritate Dauid defecerunt, post reuersionem ex Babilone vnum habuerunt ducem Zerobabel, ex Iudaica tribu procreatum, vt ait Theodoret. in c. 1. Oseæ. Vnde tota ipsius posteritas excidit: sed secundũ fidem in Christum qui constitutus à patre suo cœlesti vniuersorum rex, & iudex futurus viuorum & mortuorum, à quo cum totum genus humanum redimendum erat, omnisq; sui Patris voluntas in omnibus adimplenda, necesse, imo necessarium erat, vt sic Dei patris sui hic in terris maiestatem adornaret, eidemq; tanquam ad finem omnia subijceret, quo non solum redempta captiuitas plebis exultaret, sed etiã fœlicius & salutarius reges & principes sub illo Duce Iesu Christo militarent, iustitiamq; & pacem in populo exercerent, haberentq; post eum hic in terris, cui exhiberent persoluerentq; ministerium: non enim consubstantialis patri filius esse debuit contrarius, aut quod mille ab hinc annis summo rerum Deo moderatori sic complacitũ fuit, hic perperam vel abnuere, aut sine causa immutare, quamuis minime vlli dubium esse possit, quod directionem illam temporalem, ad sui maiorem tutelam, & conseruationẽ ipsius, post cœli in astra aditum, Vicario cõmittere voluit, qua is veluti Gallina sũper pullos suos, pro animæ illorum salute & tranquillitate, iugiter incubaret, atque cœlestibus armis contra spiritualia arma nequitiæ depugnaret. Ipse vero Princeps temporalis aduersus mundum, carnem aliaque contra Christum eiusq; Vicarium machinamenta fortiter dimicaret, ad hoc ipse futurus Messias sibi infirma, & quæ stulta huic mundo visa

sunt,

sunt, elegit, vt fortia confunderet, propriamq; nominis sui regalem compellationem detractauit, intelligẽs sane quod regnum ipsius non fuerit de hoc mundo, vtique non passurus durissimas à perfidis Iudęis ignominias, colophas & mortem, mortisque iniquam contra se latam sententiam, erat namque alijs stipatus militibus, potestatemque à patre suo in Caipham deriuatam agnouit, ideo non indiguit legionibus quas destinatas habuit.

Ec quid vero hic inuersum explico? plena est sanctorum patrum ea de re sentẽtia, Christi Vicarium hic in terris habere ius in temporalia, quatenus vniuersali finis spiritualis bono cõducit, exercere, Sanctus Thom. in 2. dist. 44. q. 2. Bonauent. in 4. dist. 37. Dur. in 4. Alexan. Alens. in 4. q. 11. parte 2 §. 2. Vnde de se ipso testatur Christus, se legem soluere non velle, sed adimplere, omniaq; quæ constituta sunt à patre suo cœlesti exequi, quare cum de soluendo tributo Cæsari quæreretur, respondit Cęsari reddẽdum, quod est Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei; Neque in sacris euangeli orum monumentis de magistratu politico, regumque dominatione ab illo quicquam immutatũ legimus, quæ causa est, quod patris sui voluntas fuerit, vt non solum gentem sanctam, Deoque acceptabilem reddat, atque regale sacerdotium instituat, ad cuius ministerium & defensionem seculares reges & Principes, tanquam ad vltimum finem, omnem suam politicam maiestatem componant, sed etiam ipsismet Principibus vim & robur influat, atque in collato sibi diuinitus ministerio corroboret.

Quod sanctissimum Dei Consilium ipse Christus Dominus noster, qui author est naturæ, & omnia suaui decentiq; ordine disponit, inuitatus, nun-

quam commisit, quod à primis ecclesiæ fundamentis SS. Apostolorum Petro & Paulo, vel minimum quid in gentiles Imperatores de foro aut tribunali seculari attentatetur, quãtumuis ipsi post Christum ecclesiæ totius gubernium acceperint, neque postea quidem accrescente credentium multitudine, aliquem christianum ipsi Apostoli ad dignitatem regiam euexerunt neque sedente Clemente Octauo Pontifice verè iustissimo pariter ac clementissimo, atque imperante Rudolpho secundo inuictissimo Imperatore suorum Principum Germaniæ, quorum plures vel in fide suspecti, vel penitus alieni, prouintię iurisdictioneſve de hoc solicitatę sunt, & si ab eodem Clemente atque alijs prædecessoribus suis sanctissimis, æcumenicisq; concilijs, repetitisq; subinde literis, ad fidei agnitionem, veræque Religionis catholicæ communionem paternè inuitati fuerint: neque verisimile iudico, eorumdem prouincias Principum, scilicet, Germaniæ, aliorumve, & regum, si ad saniorem mentem redierint (præter id quod fidei articulus in se continet) Romano Pontifici subiecturas, cum iam extante hæresi, tanquam sufficienti pro eo causa, ad id compelli nequeant: neque visum fuit vnquam summis Pontificibus (fidei hæresumque causis exceptis) vllo tempore, pro temporalium sibi cum eiusmodi obtinenda administratione bellum adscisсere, quod argumento est similium Principum regumq; secularium iurisdictionem, temporaliumq; administrationem à natura ita comparatam esse, diuinæque ordinationi sic competere, vt nemo nisi planè alienus ab omni humano iure, eandem conuellere aut disrumpere moliatur.

Verum quia huc præter intentionem incidimus,

ne ſincerum candidi lectoris animum ſuſpenſum reddamus, aliudq; forte de iſta materia cogitãtem, vel in errore, vel ſiniſtra ſuſpitione relinquamus, vos quibus aliud nihil curæ eſt, quam in primis Dei honorem & gloriam, Sanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ incrementum, atque ipſius poſt Chriſtum hic in terris vicem gerentis, Clementis Octaui Pontificis Optimi, eiusq; Sanctæ Sedis Apoſtolicæ vigilantiſſimi paſtoris præcellentiam, exaltationem & conſeruationem, iuraq; omnia & priuilegia conſeruare, ſemota omni inuidia, ac ſiniſtræ cogitationis argumento, hanc diſtinctionem ſubijcere voluimus, & quandoquidem plurimum hinc inde inter ſe ſe pugnantes rationes, iura & hiſtorias ſuper eadem re inueſtigauimus, quibus nec dum planè aſſentientes, quid demum (ſaluo aliorum ſemper meliori iuditio) nobis diſputationis modo occurrerit, aperiemus, bifariam, ſcilicet, intelligi poſſe obiectũ illud, quo qnæritur, an, & quo iure Imperatores reges & principes, ſanctiſſimis Eccleſiæ Romanæ pontificibus ſubiaceãt vel ratione religionis illorumq; actuum, quibus ſpiritualium ſanctiones conſeruantur, & defenduntur, vel ratione temporalis poteſtatis, quæ politiam quandam & reipub. adminiſtrationem à Deo illis conceſſam reſpicit, quæ duo cum diuerſa ſint, clarumq; iutibus ſit, quod quemadmodum ſeculares Principes ipſis ſpiritualibus, ſic viceſſim ipſi ſpirituales ſecularibus principibus ratione temporalium prædiorũ, ob ſolum feudum, obedientiam mutuò exhibeant, de feudo namque Imperatoris, vel alicuius alterius Principis perſona eccleſiaſtica inueſtita, tenetur coram eo de cauſa feudi reſpondere, & pro illo etiam obſequi, vt cap. tributum, 23. q. 8. c. fin. de reb. eccleſ. non alien. &

fide-

fidelitatem exhibere, vnde inconueniens nullum videtur, si Imperator & alij reges & Principes sanctissimos Diui Petri eius in sublimi solio successores recognoscant, fidelitatemq; ipsis iurent, & obsequium.

Quæ mutua reciprocatio iure naturæ non dissentit, vt sicut in spiritualibus primo Deum colimus, atque reueremur, sicq; ob agnitionem supremi domini, in temporalibus debitum exoluimus, pariq; honore illos prosequimur, quibus talis vel similis honoris præcellentia ex sorte Dei obtigit, nec ideo monstrum in natura sequi dicimus, aut duo vni corpori capita apponimus, cum liqueat ex anima & corpore vnum perfectumque hominem constitui, qui quanto inter se diuersa sustinet, vt pote animam immortalem, corpus vero mortale, tanto etiam diuersarum functionum corporis & animæ ab inuicem separatarum cuilibet opus incumbit, ab vna tamen eademq; numero & specie anima, hæc omnia reguntur: sic pari modo, quantumuis aliud sit regimen temporale & aliud spirituale (vt in sequenti capite dicemus) vtriusque etiam diuersa sint munera & functiones, ita tamen omnium istorum functiones ad vnum collimant scopum, vt duo quidem in actionibus corpora esse videantur, re vera tamen ab vna eademq; anima spirituali post Deum, scilicet, Christi Vicario regulantur, sicq; non duo, sed vnum corpus, vnumq; caput visibile constituitur, & hoc est quod initio huius capitis in secundo prioris dist. membro meminimus, sanctissimos Christi Pontifices ab ipso Deo, & homine per Christum authoritatem talem, non immediate, sed intercedente Diuo Petro spiritualem plane, & super naturalem in omnes homines accepi sse, non solum uos

sibi

ſibi fidelitatis teſtamẽtum ob temporalia ſubiugat, ſed etiam, quos fidei & religionis profeſſio ſanctæ vnitatis vinculum obligat.

Ex quo & illud ſequi neceſſe eſt, quos hactenus nulla eiuſmodi fidelitatis teſſera conſtrinxit, illos principes & Reges ob temporalia plurimum debere Pontifici, ex quo & ipſi pontifices eiuſmodi Regum Principumq; priuilegia vel reſtituiſſe in integrum, vel de nouo auxiſſe legimus; ſic Clemens V. in extrauag. cap. 2. commeruit, de priuil. in extrauag. comm. talium Principum immunitates priuilegiaq; aduertẽs, quibus cęlitus à Deo donati ſunt, nonnihil immutata à prædeceſſore ſuo Bonifacio VIII. in extrauag. vnam ſanctam. de maior. & obed. eadem redintegrando declarauit expreſsè, quod meruit chariſſimi filij noſtri Philippi Regis Francorum Illuſtris, ſincerè affectionis ad nos & Eccleſiã Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruęrunt, Et poſt pauca; hinc eſt (ait idem Papa) quod nos regi & regno, & definitionẽ & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ Octaui prædeceſſoris noſtri, nullum volumus, vel intendimus præiuditium generari, nec quod per illam Rex, regnum & regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubiecti, Romanæ, quam antea exiſtebant, ſed omnia intelligantur in eodem ſtatu eſſe, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad eccleſiam, quam etiam ad regem, regnum & regnicolas ſuperius nominatos.

Quod idem de alijs regibus, regnis & poteſtatibus dicendum eſt licet non pendeant à fidelitate, & feudo eccleſiæ, nam Imperatorum aliud eſt ius, aliud regum Galliæ, Hiſpaniæ, & aliorum regnorum.

Impe-

Imperatores recipiunt diadema à ſummo Pontifice,& prębent ei iuramentum fidelitatis,cui ſponte ſe ſubmiſerunt, Clem.1.de iureiur.c.tibi domino,69.diſt.& Clement. Paſtoralis, de ſent. & re iudic. eo ſacramento fidelitatis ſpetiali, ſicut & Rex Siciliæ, & alij quidam, ideo & de illis ſi in eorum adminiſtratione exceſſerint,decernere poteſt, quomodo forte rectè dixit Benedictus XII.vacante Imperio, omnem eius poteſtatem in ſummum Pontificum Ieſu Chriſti ſupremi regis vicarium recedere vnicum in terris, vt ait Platina in eius vita, alio qui ante translationem Imperij in occidentales, etiam ipſi Imperatores nullum reeognoſcebant ſuperiorem in temporalibus, quam vis in ſpiritualibus indigerent Pontifice, ita diuinitus dicitur Imperator conſecutus imperium,& à cœleſti maieſtate habere gladium 6. 1. C.de vet.tur.enucl. cap.quæſitum, 23.quæſt.4.

Neque ſolum eiuſmodi poteſtatem ſibi Pontifices in temporales Principes ex donatione Conſtantini Magni vſurpare,quando id plures etiam catholici aſſerunt, multa præter Coſtantinum in Romanam Eccleſiam acceſſiſſe, multaq; eidem ex aliorum Principum largitione, in hodiernū vſque tempus accedere.

Quamuis non me lateat quam ſtrenue hactenus à plerisque contra prædicti Conſtantini donationem debellatam fuerit,quibus non tam Conſtantini donatio offendiculo eſt, quam ſanctiſſimorum Romanæ & catholicæ Apoſtolicæq; eccleſiæ Pontificum, ſub eadem informata ſtabilitaq; poteſtas, cui vt infentiſſimi ſunt,ſic eandem omnibus conuitiorum flagris laceſſere non deſinunt : ſentientes vtique in nullo tunc haberi pretio, ſanctiſſimum

Eccle-

Eccleſiæ ſtatum, ſi huiuſmodi donationibus Principum (vt partim factum eſt) obſiſteretur, breuiq; omnia à Tyrannis fidei inimicis obtrita conſumptaque iacere: ſed nihil minus factum experimur, cum poſt Conſtantinum magnum, Theodoſius idem pietatis exemplum ſecutus, multis eccleſiam Dei locupletauit honoribus, atque vt noſtratium annales tradunt, chriſtiani Hiſpanarum Reges, poſt Mauros ex prouincia bellis debellatos, pro partis victorijs de eorundem opibus, ciuitatibus, & quæ ex hoſtium manibus eripiebantur, eccleſiam deſuper inueſtierunt, ſicque nunquam interrupta fuit ſucceſſio eius, quin multorum Principum catholicorum, & Heroum, ad continuandam eccleſiaſticam amplitudinem donationes vbique prædicantur, multaque ex illis turba relicta, eiurataq; contra Deum, & fidem Romanam impietate, ad Chriſti ouile, eiusq; Vicarij in terris caulam redijt: quod & his temporibus paſſim in Germania fieri videmus, vbi ſummas rerum habenas tenet & moderatur inclyta Auſtriacorum domus, quæ tanto deſiderio vnoq; & ſincero in hanc ſanctam ſedem amore flagrat, vt nihil non moliatur, quod illius ad dignitatem colluſtrandam, propagandamq; ſpectet, pro quo & illi proſperos rerum ſucceſſusq; finesq; fœliciſſimos Dij præcantur, immortalesq; gratias quas poſſunt referunt, ipſique ſummi Pontifices, eiuſmodi Principum vota grato proſequuntur fauore, ſibique non tam quam illiſmet accepto referunt, largamque manum ad omnem euentum eiſdem Archiducibus Auſtriæ in ſubſidium illorum pollicentur. Quod quam clementer ſuperioribus annis id præſtiterit Clemens Octauus ſummus Pontif. modernus, quando contra Turcarum ad fines

Vngariæ inualescentem tyrannidem, multo auro argentoq; conductum militem isthinc ablegauerit, atque nunc pro eadem necessitate se se facturum parat, notum omnibus est, vt inde vel solum pateat, quam sint idem Romani Pontifices ad regna imperiaq; catholicorum Principum defendenda, conseruandaq; paratissimi, quod ob id merito male audire debeat de Romana ecclesia, qui eam auri potestatisq; secularis cupidam, atque quod dirius est, Imperatores regesq; & Principes sine causa ab eorum sedibus deturbare insumunt, quod neque licere summo Pontifici, neque regnis seu prouincijs id consultum fore, ipsa ratio naturalis edocet, quæ suum cuiq; tribuere, & quod sibi inferri nolit, alteri non inferri suadet, nullumq; regnum sic tutum esset, nullaq; respub. certa, imo & Imperium quod sibi Germani vendicant, posset taliter aliquando per summum pontif. in alios transferri, qui sibi forte magis familiares cognatique essent, pro quibus Gregorius Quintus in Germanos transtulisse imperium scribit Platina, in eodem, & quod Germanus is esset, & quod Ottonis Imperatoris authoritate, & affinitate pontifex creatus fuisset, denique quod suppetias accepisset à Germanis, & Ottone, contra Antipapam electum à communi populi clerique consensu, qui Ioannes decimus septimus dictus, fuitq; Episcopus Placentinus: forsan tamẽ aliæ istius translationis extiterunt causæ quas ego doctioribus relinquo, hoc autẽ asseruerim, saluo semper iuditio ecclesiæ, quod & si quadantenus in huiusmodi Pontificum potentatibus pateat elationis præcipitium, nunquam tamen vllum Pontificem sua potestate in, & aduersus Imperatores leges, & principes sine euidenti causa, & ipsiusmet, vel regis

vel

vel regni ſui diſcrimine, apertaq; fidei & eccleſiæ immunitatum oppreſſionem vſum eſſe, quod enim à quibuſdam adfretur de Sanctio Rege Portugalliæ, quod is iuſſu Innocentij IIII. Alphonſo fratri ſuo regno ceſſerit, non tam ſapit priuationem quam ſpontaneam ceſſionem, vel potius reſtitutionem, occupauerat re Sanctius ſecundus regnum Legionenſe fratris Alphonſi, & regnum fratris. Garciæ Altioris vero ordinis maiorisque difficultatis eſt factum illud Zachariæ Papæ, in canone alius 15.q.6.ybi dicitur quod is regem Francorum Childericum, non tam pro ſuis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ poteſtati erat inutilis à regno depoſuerit, ſed rem diligentius conſideranti, aliud forte occurret, ibi namque ad gloſ. depoſuit, notatur, ideſt, deponentibus conſenſit, ex quo non tam authoritate pontificia, quam libera voluntate ceſſiſſe conſpicuum eſt.

Præterea leges, & canones prohibent aliquem regni ſui iure expoliare propter inutilitatem, ſed addendum eſſe coadiutorem, qualiter feciſſe legitur Bonif.8. in c.2. de ſupplen. neglig. prælat. in 6. vbi cum Rex Portugalliæ non tam negligens eſſet, & remiſſus, ſed dilapidator bonorum, atque proſtitutor monaſteriorum, ſubſtituit ei Bonifacius comitem Bolonenſ. regem prædicti fratris, qui poſt mortem regis ſucceſſurus erat, vt ibi verba expreſſe declarant: ſimiliter faciendum fuiſſet in cauſa Childericci, præter quam quod is, vt ibi dicitur, non pro ſuis iniquitatibus depoſitus ſit, ſed quia multo ante eum alij reges inutiliter præfuiſſent. Neque id à Zacharia, ſed à Stephano ſecundo, qui Pipinum in Italiam contra ſibi infeſtos Longobardos vocauit, venientemq; abſoluit à iuramento præſtito Childe

nico, illo inaudito, non vocato, indefenso, neque accusato factum scribit Eghinartus Catoli Magni Cancellarius, additq; Aimonius lib. 4. c. 58. quod istius causæ consultatio ad Zachariam remissa fuerit, & antequam decideretur, iam regno potiti erāt Pipinus & Carolo manus. vt ibidem c. 59. Quare considerato illius regni pro tempore statu, meritisque causæ Childerici, non difficile erit cognoscere, qualiter is depositus fuerit, cum sæpius contingat ex male narratis iudicem decipi, pro vt ad suggestionem Pipini, potuit decipi Summus Pontifex, vel propria opinione, vel ex male narratis. Neque in consequentiam trahi debet, illud Summi Pontificis factum Formosi, anno Domini 897. vt scribit Rhegino lib. 2. Chronic. qui semoto Carolo III. Imper. dicto Crasso, filio Ludouici Balbi, & nepote Caroli Imper. subrogauit in eius locum Carolo manni filium Arnolphum, qui antequam coronatus ab eodem Pontifice anno 897. iam Carolus Crassus destitutus fuit, atque Arnolphus vsurpauit regnum anno 887. vt ait Rhegino lib. 2. qui præcessit Formosum, neque is ait, hoc ex Pontificis authoritate factum est, sed postquam bonus ille, & Deum timens Imperator Carolus, & corporis, & animi viribus destitui cœpisset, optimates regni Arnolphum filium Carolo manni in regnum attrahunt, & facta conspiratione ab Imperatose deficiunt, & ad prædictum regem certatim transeunt, ita vt in triduo vix aliquis remaneret, qui ei saltem offitia humanitatis impenderet, cibus tamen & potus ex Luidperti episcopi sumptibus administrabantur.

Hic porro christianissimus Imperator Carolus, Deum timens & mandata eius ex toto corde custo-

diens,

diens, & cæteris orationibus & psalmorũ melodijs indesinenter deditus, cũ omnibus dignitatibus denudatus, bonisq; omnibus spoliatus esset, tentatio fuit vt credimus, non solum ad purgationem, sed quod maius est, ad probationem. Post cuius mortem regna, quæ eius ditioni subeiant veluti legitimo destituta hærede, in partes à sua compage resoluuntur, quæ causa magnos bellorum motus excitauit, vt scribit idem Rhegino lib. 2. Epitomes histor. & Platina in Stephano sexto, & in Formoso primo, vbi dicit Arnolphum mortuum morbo pedeculari in recompensam tantæ proditionis & rebellionis in legitimum Imperatorem, destitutionisq; iniquæ.

Non debent impetrata aut extorta à pontificibus per suggestionem falsam, vel obreptionem valere in præiuditium alterius, vel ad effectum deduci, quia sedes ista iustitiæ cultrix est, & præter intentionem assensus datur, eo quod eorum rescriptis perpetuo addi solet, si preces veritate nitantur, & sine præiudicio tertij inauditi l. 1. §. si quid à Principe, ff. ne quid in loco publico.

Quod vero dicitur de priuatione Henrici IIII. & Federici II. superius iam dilutum est, eo quod isti Romano Pontifici homagium fidelitatis dederunt, fidemque iurarunt, quod ad alios applicari nequit.

Scio insuper quod electores Vvenceslaum regem Romanorum tanquam inutilem ab imperio deposuerunt, quod quia factum, non ideo iustum est, neque simile illorum exemplo attentandum, præcipue quod donatum reuocari non possit, semel translato dominio, talisq; depositio magis pertineat ad contumeliam quodammodo tãtæ potestatis, quam ad eiusdem cõmendationem, quod fieri nõ debet.

Neque

Neque simile asserendum de sanctissimis Pontif. si quandoque plus æquo in Principum regumq; facta animaduertisse legantur, cum & ipsi homines sint, errareq; possint in talium similiumq; Principum causarum discussionibus, nec aliud ex hoc illorum facto concludendum est, quam quod fidei religionisq; catholicę propagandæ occasionem dare velint, & nullo pacto impijs rebellium & ambitiosorum concilijs authoritatem præbere, qua sic Principes opprimãtur, regiaq; potestas à Deo diuinitus concessa illudatur.

Quare vt omnia quæ hactenus diximus, in vnum colligamus, certum est Deum optimum max. superioritatem secularem, vt necessarium suæ diuinæ voluntatis instrumentum hic in terris constituisse, primamq; eius à natura originẽ inuexisse, quam post modum succedente tempore euidentioribus principijs signisq; comprobauit, atque sub ecclesiastica Hierarchia tutissimum illius fundamentum præsidiumq; posuit, ita vt neque supremus ecclesiæ catholicæ Hierarcha, eiusq; solio residens Clemens VIII. Pontifex Max. aliud sibi depoſcat, quam fidei, & religionis obseruantiã sanctamq; iustitiæ, morum & omnis honestatis venerationem, vbi si quid secus factũ fuerit, ipsius partes erunt, ad æqualitatem sanctæ Religionis omnia complanare, & sic demum per hæc claresçit, quod supradiximus potestatem, scilicet, ciuilem ita dependere à spirituali vt ab illa instituatur, suamq; accipiat facultatem, ab illave possit vel amoueri Rex vel cogi, vel corrigi, quando à diuinis legibus fineque spirituali rebellaret.

CA-

CAPVT XIIII.

Vtra sit maior, spiritualis, vel secularis potestas, & quomodo distinguantur ambæ ab inuicem.

NVnc illud nobis disquirendum incumbit, cuius maior istarum potestatum sit in orbe christiano authoritas & amplitudo, & in quibus altera ab altera dependeat, mutuoq; à se inuicem distinguantur. Sanè vtriusque Deum authorem agnoscimus, earundemq; varijs iuxta proprium vniuscuiusq; rationis modū, effectū videmus, quemadmodum ipsa nominis appellatio exprimit, quod aliud sit regnum spirituale, aliud & seculare, quantumq; vnum ab altero excedit, tantum etiam præ alio æstimandum sit, vt cœlestia terrestribus, æterna caducis, sic regnum spirituale cum seculari comparatū, longe hoc & dignitate, virtute, & authoritate excellit, longeq; maius onus illi incumbit; idcirco præstantior anima in corpore est, vtrumq; vero ad honorem salutem, & totius vniuersi decorem, & maiestatem mirabiliter conducit, & pro rerum causarumque, & negotiorum varietate expediens est, quod perpulchrè ostendit Sanctus Ioan. Chryso. in explanatione Psal. 121. In Hierosolymorum (ait) illa Ciuitate, duplex erat populus sacerdotum, & regum vno vinculo coniuncta, cum veluti quadam duplici corona, & diademate coronaretur ciuitas, per hęc omnia, illic iudices, ad quos causæ quæ multorum captum superabant referebantur, si enim aliqua inqua lata fuisset sententia in alijs ciuitatibus

de

de qua dubitaretur, vt euenit in appellationibus, ad iudicum qui erant Hierosolymis cognitionem, & sententiam referebant, illic autem accipiebatur resolutio, & nonne (inquit Cirillus Episcopus Hierosolimit. cathechesi 17. & 18.) illuminatorum habet ecclesia vitulum & taurum cum leone simul pascentes, sicut ad hodiernum diem cernimus, mundanos Principes regi & institui ab ecclesiasticis. Iustinianus vero in nouella sexta maxima ait in hominibus esse dona à superna collata clementia, sacerdotium & imperium, & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exigens, quæ ex vno eodemq; principio vtraque præcedentia humanam vitam exornant, mutuoq; se se iuuant, vt ait Nicolaus Papa primus epistola 7. ad Michaelem Imperatorem, vt quod non potest ecclesiastica disciplina perficere, principum secularium potestas exequatur c. Principes seculi, cum quatuor sequent. 23. q. 9. Quod vero præferatur principatus spiritualis seculari, & dignitatibus secularium principum, plurib⁹ confirmatur in c. omnes solitæ. de maior. & obed. per Gregor. & Bonif. in c. vnam sanctam. de maior. in extrauag. com. vbi iubetur à Deo, sacerdotibus obedire, ex eo, quod Samuel primum regem Saul vnxerit, quodque duos gladios in ecclesia sufficere Christus dixit, & decimas solui leuitis, ab illisq; benedici quodque vnus Deus, vnum baptisma, vna fides, vna ecclesia, vnaque archa, in qua & principes seculares sunt membra, vnum vero caput summus Pontifex.

Quæ vt olim coniuncta simul stabant, sic postmodum ex Dei mandato per Samuelem diuisa sunt ab inuicem, ita vt alius sit status secularium, & aliorum spiritualium, quam quilibet sub se alios atque

alios

alios habeat magiſtratus & offitiales, vnus autem vtrinq; omnium ſit rector & antiſtes.

In eccleſia quidem diuerſi ſunt ſtatus & principatus, Pontifex ſupremus, princeps ſacerdotum omniumq; eccleſiarum, Patriarcha patrum Princeps, Archiepiſcopus princeps Epiſcoporum, Epiſcopus princeps ſacerdotum, ſic in ſeculo maieſtas imperatoria primas tenet inter omnes principes ſeculares, mundiq; Princeps, & omnium ſupremus dicitur iuxta Baldum in l. 1. C. de iuriſdic. omnium iud. & omnes iuriſdictiones ab eo ſicut è fonte in alios deriuantur, omnium inferiorum magiſtratuũ creatio ad ipſum ſpectat, adeo quod ſacrilegij reatum incurrat, quicunque Principi obſtare velit, ſuper quacunque dignitate, vt eſt textus apertiſſimus in l. ſacrilegij. C. de diuerſ. reſcript.

Lex porrò Chriſti ſacerdotali poteſtati multo ampliorem dedit poteſtatem atque perfectiorem principatũ, ne caro ſpiritui dominetur, ne ve à terreſtribus ſpiritualia ſuperentur, & diuina ab humanis, ideo Imperator Reges & Princeps, filij ſunt ſacerdotum Chriſti, vnde illis obedire, & non dominari dicimus, quę omnia in ſpiritualibus ſibi locum vendicant, in quibus nullo reclamante, potior ſanctiorq; eſt authoritas ſacerdotum, digniorq; pontificalis ſeculari.

In alijs vero plane diſtinctæ ſunt, habet enim quælibet priuilegia ſuæ poteſtatis, quæ adminiſtrandis legibus publicis conſecuta eſt, vt eius beneſitijs non ingrata contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet, vt contentum eſſe imperium ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat, ſine vſurpatione eorum, quæ ſolis ſacerdotibus Domini conueniunt, vt dicitur in cap. ſi

Imperator, 96. distinct. & cap.Imperium, distinct. 10. & cap.quoniam idem mediator eadem distinct. ad hoc quod Deus actibus proprijs & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque principis, & spiritualis & secularis distribuit, quomodo Diuus Paulus ecclesiasticam potestatem, 12. ad Roman. cap. & alias sæpe, humano corpori comparauit, vt inde cunctis manifestum faceret, ita singulis statibus propria munera singulari Dei prouidentia fuisse designata, quemadmodum in humano corpore, quodlibet membrum, proprium munus habet, nec est quod alterum alterius functionem exerceat, ita in christiana repub. singuli status proprias exerceãt functiones, alienam vero messem inuadendam sibi
„ nemo persuadeat, dico enim (inquit ille) per gra-
„ tiam Dei quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter
„ vos non plus sapere quam oportet sapere, sed sape-
„ re ad sobrietatem & vnicuique sicut Deus diuisit
„ mensuram fidei: sicut enim in vno corpore multa
„ membra habemus, omnia autem membra non eun
„ dem actum habent, ita multi vnum corpus sumus
„ in Christo, singuli autem alter alterius membra, ha
„ bentes autem donationes & gratiam quæ data est
„ mihi differentes, si enim totum corpus (ait primo
„ ad Corinth. 12.) vbi auditus? si totum auditus, vbi
„ odoratus? nunc autem posuit Deus membra, vnum
„ quodque eorum in corpore sicut voluit, quod si es-
„ sent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc au-
„ tem multa quidem membra vnum autem corpus.

Quam sententiam mirum in modum amplificauit D. Greg. Nazian. in Apol. cui in pontum fugerit, orat. 1. Quemadmodum enim (inquit ille) in corpore aliud membrum principatum tenet, ac ueluti præsidet, aliud subest ac regitur, qua meritum cu-

iusque

iuſque perpendit, vel etiam prouidentiæ per quem omnia inter ſe deuinxit, hoc in eccleſijs conſtituit, vt alij paſcantur & pareãt (quibus id vtilius eſt) ac tum ſermone tum opere ad offitium dirigantur: alij contra ad eccleſiæ perfectionem paſtores ac magiſtri ſint: nimirum qui virtute coniunctione & familiaritate apud Deum vulgo ſublimiores ſunt, rationem animæ ad corpus, aut mẽtis ad animam obtinentes, vt hæc duo, hoc eſt, & id quod defuit, & id quod redundat inter ſe, velut in membris compoſita & compacta, ſpiritusq; compage connexa, & colligata, vnum corpus omni ex parte perfectum, atque ipſo Chriſto, qui caput noſtrum eſt, omnino dignum exiſtant.

Ex quo Sanctus ille Theologus ex vniuerſis eccleſiæ ordinibus corpus vnum, cui veluti animæ paſtores ſunt, cõpactum demonſtrant, quæ cum principium omnium vitalium actionum exiſtit, eaque deficiente, omnes reliqui motus intercluduntur; ſic ex adminiſtratione eccleſiaſticæ poteſtatis omnia membra ſecundum ſtatum ſuum ſpiritualiter viuificantur, & Deo, peccatorum remiſſione accepta, reconciliantur, quos cum timore, & tremore nos audire oportet, & fide ſincera eorum faciem reuereri, quia ſunt Dei miniſtri, & illius formam poſſident.

Cui in contrarium plurimos affectata malitia in inſaniam trahit, immemores ſui proprij ſtatus, & ſe pedes eſſe minimè cogitantes, legem oculis Dei volunt imponere, oculos namque Dei appellauit ſummos Antiſtites eccleſiæ catholicæ, Baſil. epiſt. 30. & Amb. de dignit. ſacerd. c. 6. illos oculorum in eccleſia fungi offitio eleganter ſcribit, inſanit igitur inquit, qui pedes oculis & ventrem capiti

piti legem præscribere debere contendit.

Huius rei olim quidam Imperator peracta sinodo, quæ Constantinopoli habita fuit, eleganti quadam oratione qui tunc aderant, vsus his verbis, laicos admonet: De vobis autem laicis tam qui in dignitatibus quam qui absolute conuersamini, quod amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque pęnitus resistere integritati ecclesiæ, & vniuersali synodo aduersari. Hoc enim inuestigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, Sacerdotũ est, qui regiminis offitium sortiti sunt, qui sacrificandi, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas ac cęlestes adepti sunt claues, non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel ligamento solui egemus. Quantæcumq; enim religionis & sapientię laicus existat; vel etiam si vniuersa virtute interius polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinit; rursusq; quantumcunque Episcopus sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec Antistes est, & vnitatis verbũ rectè prædicauerit, pastoris nominis & dignitatis damna, non patietur.

Clarius forte hic sanctissimus Imperator de Dei ministris, atque ecclesiæ præfectis verba fecit, quam quibusdam placeat, verum fortior & ipsis Principibus (vt ait Esdras) est veritas. Eleganter idipsum adnotauit Gregorius Nazian. oratione 9. oues (inquit) pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite, satis enim vobis est, si recte pascamini, iudices, ne iudicate, nec legislatoribus leges prescribite, non est enim dissensionis & confusionis Deus, sed pacis & ordinis, ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis

mem-

membrum eſt; verum quo vocatus eſt, in eo gradu quiſque maneat, etiam ſi alioqui præſtantiori dignus ſit, plus vtique laudis habiturus in eo, qui præſenti gradu acquieſcit, quam ſi eum quærat quem non accepit, ne quis cum peticulo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat, nec obedientiæ lex quæ tam terrena quam cęleſtia tuetur atque conſeruat, infringatur: neque committamus vt præfectorum multitudo in diſſolutam ſine vllis præfectis viuendi licentiam recidat.

Nec in hoc ſolo conſiſtit eccleſiæ & prefectorum illius authoritas, & authoritatis dignitas, quod paſcere nos habeant cœleſti illo & ſupernaturali cibo, quodque nobis errantibus viam veritatis oſtendant, ſed in hoc potiſſimum, quod ſi quando contra huius veritatis fundamentum noua dogmata orian tur, lateq; in populo Dei graſſari incipiant, communi plurimorum patrum conſilio & iuditio, eiuſmodi prauæ doctrinæ authores condemnet, iuſtumq; quidve iniuſtum ſit ſtatuat, cuiuſmodi vt alia præter mixtum, ab Alexandro vrbis Alexādriæ Epiſcopo contra Arrium, Achillam & eorum aſſeclas factum fuiſſe teſtatur Socrates lib. 1. cap. 3. Arrius cum hæreſi ſua Alexandrinam eccleſiam adeo permouit vt peſtifera & exitioſa illius labes inde per vniuerſum Aegyptum, Lybiam & ſuperiorem Thebaidem multas deniq; alias prouincias increbuiſſet Alexander quos diligēti admonitione, & diſputatione frenare non potuit, multorum Epiſcoporum conuocato Concilio Arrium & eius ſectæ viros omnes presbyterij gradu deiecit, qua de re ad Epiſcopos cuiuſq; ciuitatis literas dedit, quibus ſe & ſuis fautoribus anathema dixiſſe, teſtatur, nec ſic quidem malum hoc extirpari potuit, ſed ſub quorundam preſulum

tutela,

tutela, & patrocinio, ad quos sic depositi confugerãt, patronosq; implorarẽt, serpsit, donec vndiq; ac cersitis Episcopus vt se se Niceã Bithyniæ cõferrẽt, ex omnibus (vt ait Euseb. lib. 3. de vita Costantini) ecclesijs quæ vniuersam Europam Lybiã & Asiam occupabant sicque in vnum collectis trecentis decem & octo, Arrius & eius opinionis sectatores, & fautores ab ecclesia catholica anathemate ferirẽtur, & tunc siluit vniuersus orbis.

Ecce quos tumultus & contentiones centum fere Episcoporum conuentus sedare non potuit, vniuersale ecclesiæ Concilium sopiuit, ecce maximum ecclesiæ Deiq; ministrorum Imperium: quod præter legis scriptę canonem in rebus dubijs populum
„ sequi quondam seuere præcepit Deus. Deut. 17. Si
„ difficile (inquit) & ambiguum apud te iuditium es-
„ se perspexeris, venies ad sacerdotes leuitici generis,
„ sequerisq; sententiã eorum, nec declinabis ad dex-
„ teram neque ad siniſtram, qui autem superbierit no
„ lens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore
„ ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis mo-
„ rietur homo ille dabo enim (inquit alius Propheta
„ Hier. cap. 3.) Vobis pastores qui pascant vos scientia
„ & doctrina.

Non desunt in seculari principum consilio viri prudentissimi, doctrina longaq; rerum experientia insignes, quorum tamen nullum est iuditium ita certum & infallibile, vt non aliqua careat veritate, quandoquidem non tam diuinis quam humanis nitatur rationibus, facile etiam fieri potest, vt rerum status causarumq; merita luscis (vt aiunt) oculis intueantur, at fidei catholicæ eiusdemque pastorum præfectis ea est vis & natura, vt sine spiritus sancti afflatu consistere non possit, sicque in nullo contra

veri-

veritatem quidpiam decidere. Vnde Christus ipse non solum apostolis, qui tunc aderant vibiliter sed vniuersæ ecclesiæ (quam illa discipulorum congregatio præfigurabat) spiritus sancti assistentia, inuisibili quadam ratione influxit, ideoq; spiritum veritatis appellauit, qui omnem prorsus ab ecclesia, cui præest, erroris suspitionem, amoueret, neque fallí eos posse, qui ecclesiæ ductũ secuti fuerint, apud omnes testatum relinqueret quod peculiari quadam, & admirabili ratione singulari Dei benefitio concessum ecclesiæ ipse Hierem. c. 3. aperte demonstrauit, cum in prçcipuis beneficijs quæ Christus secum nobis attulit, enumerat illud, scilicet, sacerdotum animas pinguedine esse inebriaturum.

Mirabilissimum ergo est, post annos 1600. qui numerantur ex quo Petrus post illapsum spiritus sancti in Apostolos, prima sua concione, ex omni prope gente habitati orbis, aliquos perduxit ad Christum, sic adfuisse christianæ ecclesiæ principatus authoritatem, iurisdictioniq; spiritualis infallibile iuditium, vt nullus ex tot Romanis pontificibus Petri successoribus, & locum Christi tenentibus dissenserit, vel ab vno è reliquis in sanciendæ æternorum veritate, ac legibus vniuersalibus imperandis, quamuis variatum sit in ijs, quæ propter temporum varietatem, gentiumq; diuersitatem variari debent, quo ad morum rituumque obseruationem. In cæteris qualia sunt diuina & vnius modi semper, nihil inuenitur discrepans, nihil dissonum, nihil dissimile, quod est Illustrissimum veritatis & præcellentiç prç principibus secularibus argumentum.

Quare si de sacris canonibus & constitutionibus apostolicis vel ecclesiæ generalibus legibus cũ principibus terræ nobis sit instituenda comparatio, nul-

la

la prorsus ex parte cum illis fieri potent, si quidem comparatio inter illa facienda est, quæ in aliqua simul conueniunt, at vero ecclesiasticorum cum seculari comparatum imperio, vtique in omni parte longissime superat, quo ad veritatis, authoritatis, & dignitatis materiam, illis namque omnes vtriusque sexus homines & ætatis subijciuntur, à quibus nec principes terræ excipiuntur, quod in Concilio Meldensi cap. 11. præcipitur vt ab omnibus canonum sacrorum statuta obseruentur, hisq; in omnibus leges ciuiles deferant; neque dedignantur sacros canones imitari & confirmare Imperatores, capitaq; sua cũ coronis submittere, Dei omnipotentis Christiq; in terris summo Vicario, humili animo submissoq; vultu suscipere sacramenta, primasq; dare eidem, in alijs negotijs, rebus & personis ecclesiasticis, inter quæ sunt electiones, postulationes, prouisiones, dignitatum, personatuum, offitiorum, canonicatuum, præbẽdarum, vel aliorum benefitiorum ecclesiasticorum, decimæ, matrimonia, vsuræ, item hæresis, simoniæ, & alia similia crimina maximè clericorum. Iura patronatus ecrlesiastici; atque hæc sunt generalia, in quibus christiani Principes, & seculares potestates ecclesiastico iuditio & põtestati subiecti sunt (de quibus omnibus in specie in 2. lib. agemus) qui vt neque in his ecclesiasticum reformidant imperium, sic neque in alijs quibuscunque pro illorum salute animæq; securitate morem gerere, detractabunt.

Verum quia nobis animus fuit, diuersitatem inter prædicta imperia adferre, quæ magis non potuit, quam ex vtriusque authoritate & ad inuicem comparata qualitate elucescere, idcirco visis superius de ijs quæ ecclesiastico imperio conueniunt, &

in

in quibus eidem ſubiacent reliqui omnes mortales, nunc pauca dicamus, de facultate, & amplitudine ipſorum Regum & Principum ſecularium, vt ſic vtrinq; quantum ſibi in alterutrum conueniant, & diſcrepent, manifeſtius euadat.

Primum quidem millis terminis legibusq; huiuſmodi regna & imperia conſtringi poſſunt, ſiquidem illorum gubernatio libera eſt, atque pro morum populi temporumq; circumſtantijs, ſubinde aliam atque aliam accipiunt regendi formam, vel quod regni aut principatus lex aliter fieri excepit, vel conſuetudine, longoq; vſu ſic fieri receptum fuit, proinde generalia ſaltem, eaque quæ ab Imperatore Friderico in cap. vnico quæ ſint regalia Principis lib. 2. feud. tit. 56. nominantur, proferemus, quorum primum eſt quod prædicti principes ſeculares armorum vſum eorumq; omnium quæ ad bel li pacisq; conſeruationem ſpectant, curam habent, illisq; ſolis gladius demandatus ſit, extra quorum licentiam nemo alius poteſtatem ſibi vſurpare poterit, aut certe maieſtatis læſæ crimen incurrit, veluti ſcriptum reliquit Martianus in l. lex duodecim tabularum §. eadem lege. ff. ad l. Iul. maieſt. eadem lege (inquit) maieſtatis teneri qui iniuſſu principis bellum geſſerit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit, quive cum ei in prouincia ſucceſſum eſſet, exercitum ſucceſſori non tradidit, atque olim tam ſeuere apud Romanos cautum fuit vt lege Iulia de vi publica teneretur, qui arma vel domi, vel in agro, aut villa ſua teneret, præter ea quæ ad vſum venationis, vel itineris, vel nauigationis inſeruirent, exceptisq; ijs armis quæ quis pro mercij cauſa habuerit, quando ei ex hæreditate aliqua obuenerint, ſic habetur in nouel. 7. neque armis vti, neque militan-

litantem permittas aliquem, quicunque enim sine principijs spetiali licentia arma & gladium accipit, gladio debet interimi, quod Christi verbum nos docet, & pro hoc sensu explicatur in §. 1. 23. q. 8. & clarius sanxerunt Valent. & Valens Cæsares leg. vn. vt armorum vsus inscio principe interductus sit in C. lib. 11. Nulli (inquiunt) prorsus nobis inscijs & inconsultis quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur, quia Princeps habet merum imperium ad animaduertendum in facinorosos homines, & ideo etiam minister Dei constitutus est, qui gladium portat, quo ipse per se vel per rempub. vel alios legitime imperantes eius authoritate vti possunt, alijsq; vtendum committere, vt dum contra hostes regni bellandum est, aliave rationabili de causa bellum indicitur, ex quo ius regis cognoscitur, quod est populo sibi subdito, ne aliqua ratione subuerti lædi, aut turbari possit attendere, qui alioquin audax & proximo suo infidus est, facileq; ad proditionem cõcitatur, vbi tunc non solum totum regnum, sed etiam circumuicinę interturbantur regiones, sicq; omnis ad negotiandum via occasioq; intercluditur, qua non cuilibet libet suis ad se pertinentibus rebus, cum alijs vel consulere vel opitulari, aut ex loco suo in alium tuto migrare. Vnde ad ius Principum quod hinc enascitur, pertinet, vias publicas tenere defendere atque ab omni incommodo conseruare, publicæ enim viæ regales dicuntur, ab eo quod vt Vlpianus vult solum publicum sit directumq; ei qui certis finibus ius publicandi habet l. 2. §. viarum quædam. ff. ne quid loco publico, & ibidem de locis & itineribus publicis, hoc vero cum solius Principis esse constet, illius etiam erit hæc cura.

Qua

Qua ratione olim populus Dei commotus fuit ablegatis nuntijs ad Seon Regem Amorrheorum
„ petens vt liceat ſibi tranſire terram illam: non de-
„ clinabimus (inquit) in agros & uineas, non bibe-
„ mus aquas ex puteis, uiam regiam gradiemur, do-
„ nec trāſeamus terminos tuos, Qui noluit eis conce-
„ dere, quin potius exercitu congregato egreſſus eſt
„ obuiam in deſertum, & uenit in Iaſa pugnauitq;
„ contra eum à quo percuſſus eſt in ore gladij & poſ-
„ ſeſſa eſt terra eius ab Arnon uſque Ieboe, & filios
„ Amon. num. 21.

Accedit quod prohibitum eſt publicas vias vrbium occupare, aut coarctare, l. quia. ff. ne quid in loco publico. Et punitur qui hoc fecerit pœna ſacrilegij, non ſecus ac ſi ſacri alicuius loci violatores extiſſent, cum eiuſmodi viæ ſacris comparentur, vt ait Iuſtin. nouel. 7. non multum differre ab alterutro ſacerdotium & imperium, vt nec ſacra à communibus & publicis, quo fit vt eiuſmodi viæ nec alienari poſſint, nec priuatis ab officialibus principis concedi ſine eius licentia: multoq; minus ibi inuenta bona ſeu oberrantia, quæ alias pro derelictis habentur ab vllo retineri, ſed debent fiſco reipub. aut ipſi Principi redhiberi hæc enim cum incerta ſint, ad viæ Principem ſpectabunt vt eſt text. in l. 2. §. Nerua. de acquir. poſſeſſ. quod etiam tradit Ioan. Faber. ad §. ad examen apum. de rerum diuiſ. vbi ait examen apum oberrans in iuriſdictione Dominorum territoriorum effici, & optime quidem hoc conſtitutum fuiſſe exiſtimādum eſt, cum enim principes non ſolum ab omni malo ſe ſe abſtinere debeant, ſed etiam ab omni ſpecie mali, profectò niſi præueniretur hoc iure hominum malitię, plures furtum inciderent eiuſque reatum, principes con-

traherent, permittentes talium rerum inuentarum seu deperditarum vsum & dominium, conuerti ad cuiuslibet priuati inuentoris arbitrium, quod Deus olim in veteri lege prohibuit, sic per Moysen legem
„ decernens: non videbis bouem fratris tui, aut ouem
„ errantem & præteribis sed reduces fratri tuo, & si
„ non est propinquus frater tuus, nec nosti eum du-
„ ces in domum tuã, ut eum apud te detinebis quam
„ diu quærat ea frater tuus, & recipiat: similiter facias
„ de asino, & de uestimento, & de omni re fratris tui,
„ quę perierit, si inueneris eam, ne negligas eam quasi
„ alienam. Deut. 22.

Huius nominis non immerito appellatione numerantur inter bona errantia pueri expositi, quorum non est neque pater, neque mater, neque status illorum: & bona mortuorũ decedentiũ sine legitimo hærede, uel abintestato: Sic res aliæ omnes tam mobiles quam immobiles, quæ à nullo possidentur, uel pro derelictis & incultis relinquuntur, ut sunt domus, agri, castella & c. quæ Græci ἀδέσποτα vocant, idest, bona sine Domino ad principem terræ viarumq; de iure spectantia.

Quo iure olim vsos fuisse Romanos scribit Strabo, dum constituebant ad hoc singularem magistratum, qui per Aegyptum inquireret, num bona essent aliqua vacantia, possessiones desertæ sine hærede, aut alia sine domino, vt ea dominio Cæsarum incorporarentur. Quod hodie apud nostros Principes sedulo videmus fieri, dum fiscales suos pro huiusmodi rebus bonisq; errantibus recuperandis constituunt.

Alibi extat laudabilis vsus quod pro istis rebus deperditis inuentisq; per mare, aut alibi locorum proclama in singulari, ad hoc deputato loco fiat, per

præ-

præconem, aut trombetam vt vocant, (ſicut memorabile fieri vidi ſub Illuſtriſſimorum Venetiarum alma Patauina Anterioris Vrbe dominio) aut denunciatione ad valuas curiæ; vbi notificantur omnibus & ſingulis prædicta bona, atque interim in repub. conſeruantur, donec aliquis eorum ſibi dominium cum vero titulo & iure vendicet, ſi vero in præſcripto illo termino nullus comparuerit, in commune ſeu publicum conuertuntur.

Quod vero iam dixi de rebus in mari deiectis aut fortunio alio ad littus appulſis, non ſine cauſa id feci, quia ex hoc etiam Principi aliud ius accedit, quod habet ſuper flumina ſiue nauigabilia, & ex quibus fiunt nauigabilia portus & ripæ: Vt enim in terris via publica eſt, ſic & itinera per aquam publicam, quod confirmant multæ iuriſconſultorum leges l 4. §. fin. de rer. diuiſ. ff. §. flumina ibidem, & l. 3. ff. de flum. l. 1. §. fluminum ibidem. l. 1. §. pertinet. ff. ne quid in loco pub. illaque ſic reperta ad principem illius aquæ & terræ pertinere, identidem probant plures ex legib. quib. prohibentur omnes poſſeſſores prædiorum circa portus & littora, ne aliquid ex mari appulſum capiant, nauibus ſpoliatis, merſis, diſſolutis naufragis, niſi naues ſint aut res fuiſſent pyratarum. l. 3. & ſequen. de incēdio ruina, & nauf. ff. & in Auth. nauigia. C. de furtis lib. 6. meritoq; id ſibi iuris arrogat princeps cum ab ipſo impenſæ fiant in huiuſmodi portibus reficiendis & extruendis, ſolicitudoq; multa eorum principum fiat qui ibi habent imperium.

Eodem pertinet nouorum vectigalium impoſitio, nempe ſi neceſſitas & cauſa imponendi & exigendi adſit, ideo ſi ſine cauſa impoſitio fiat, vel ab alijs permitti patitur, Deo rationem reddent, tenebun-

buntur q; ad restitutionem, imo rapinam de bonis subditorum committunt, vt ait Innoc. in c. innouamus. de cens. iusta vero causa præsumitur videlicet si pro securitate viarum, & viatorum, pro refectione itinerum & portuum fiant, similive causa, quæ impensas & sollicitudinem pro communi causa habent, alio qui semper præsumitur iniusta, sic exactiones angariarum, perangariarum, nauium, & plaustrorum omnisq; alia extraordinaria collectio, ad regalis numinis expeditionem spectat; nec vlli hoc regale ius permittitur: vt enim iure ciuili (quemadmodum rescripsit Alexander 3. in c. innouamus. de cens. Innouamus inquiens, ne alicui nouas pedagiorum exactiones, sine authoritate & cõsensu regum, & Principum statuere aliquo modo præsumat, si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non destiterit, donec satisfaciat, cõmunione christiana careat) perpetuo affici debet exilio, qui prædicta non exequitur, sic qui vectigalia sine imperatorum præcepto, neque præsidi, neque curatori neque curiæ constituere, neque præcedentia reformare, vel his addere, vel diminuere licere, scribit Hermogenianus l. vectigalia, de public. & vectigal. ff. nam vsus legitimus principibus concessus est a Deo, non abusus, prout rescripserunt Imperatores, & Sanctissimi Pontifices. leg. 1. 2. 3. C. noua vectigalia imponere non posse c. super quibusdam. §. præterea. de verb. signif. alioqui cessante legitima iustaue causa, & pro communi salute paceq; conseruanda, cura sollicitudineque, damnum resarcire teneãtur tales exactores, vel lædentem exhibere, seu furem, & latrocinium præstare.

Nouæ monetæ excussio, eiusdemq; valor maior vel minor ex authoritate principis dependet, alijs

vero

vero ex priuilegio, vel consuetudine præscripta indulgetur, & sic læsæ maiestatis crimen est, valorem dictæ principalis monetæ immutare sicut suo nomine iniussu principis nouam, cudere, alterare, falsare, radere l. 1. & fin. de vet. nummis. potestate. C. lib. 11.

Accedunt confiscationes principum, quæ de maximo illorum sunt imperio, nullisq; per leges subditis permittuntur, ideo contra legem posse, hoc solum Principi concessum est, vt notat Bal. ad cap. 1. de pace tenenda, & iur. firman. in feu. Quæ confiscationum iura, vt superiora, quandoq; aliquatenus per principes conceduntur subditis feudatarijs, seu valuasoribus, iuridicis, in crimine veræ læsæ maiestatis, vbi ipse princeps quandoq; læditur, solum ad principem tunc spectat confiscatio contra vassallos suos, non solum eorum bonorum, quæ sunt sub ditione eius, sed etiam quæ eorum ab alio principe non tenentur, à dãnato in alijs criminibus, vbi confiscatio locum habet, qui feudum habent, & imperium, ex lege feudi potestatem, possunt iure confiscationis bona condemnati etiam alibi in sua iurisdictione confiscare, vel confiscata per crimen retinere, vt docet in crimine hæresis, Guida Papæ decisione 76.

Cæterum iudicandi munus quod publicum officium est, nulli alteri conueniet, quam qui plenam, & ordinariam habet iurisdictionem, cuiusmodi principes esse superius diximus, à quo vt reliquæ omnes potestates inferiores pendent, sic etiam, si qui alij sunt magistratus in republica à principe, vel constituuntur, vel confirmantur, ipse enim solus est iudex populi & princeps, potestatẽq; habet oẽs in offitio suo, vel mutare, vel de nouo confirmare.

Quod

Quod vero prosecutionem voluntatis suorũ prę cessorum princeps aliquando remittit, illud non tam est ex necessitate, quam honestate, quippe quod nullis legibus vel factis eorum obstringitur, nec vt hæres, sed vt successor dignitatis succedit in principatu, proinde causa extante rationabili, & prędecessorum suorum acta factaq; immutare, reuocare & annihilare, officialesq; in officijs suis confirmare, remittere, nouos creare, officia eorumdem numero augere, iurisdictiones prorogare, vel restringere, omniaq; illa facere & præstare potest, quę Princeps bonus iudicabit futurum & commodum esse, & reipub. vtile. Hoc tamen in primis curabit, ne petentium ambitione officia & dignitates iuditium peruertatur, ne ve negotiationem in officijs committẽdis exerceat, ita vt multiplicatis officijs eorumve distractione aliquod lucrum vel sordidum quęstum quærat, nil enim potest reipub. ea negotiatione accedere peius; contingit enim sępe sępius quod pro vno aureo officiarij redimant à principe dignitatem aliquam, quam postea carius reuendendi alijs occasiones iustitiam nascantur, quod quando obtinuerunt, turpiter in subditos grassantur, petunt supra debitum suum, onerando & aggrauando illos, ex quo necesse est, quod interitus regni & totius principatus eueniat, dum manus venales expositę sunt auctioni, vincitq; in foro qui lancem pendentem ex parte iudicis ęre onerat, & venditionibus numerus magistratuum multiplicatur, quare princeps debet ipsemet rebus suis attendere, & iuditium, si fieri potest, ex persona sua administrare, aliosq; inferiores iudices & officiantes ad regalem suam iurisdictionem, vel saltem aliquod iuditium constituere, ad quod reliqui omnes qui minori ali-

qua

qua poteſtate pollent, neceſſario recurrant, ne tanti abuſus & vexandi pauperes litigantes, occaſiones ex tam diuerſis iudicum offitialiūq; gradibus orian tur, præcipue quia omnis iuriſdictio pendet à principe, & ſupremę potaſtatis probatio ab eodem, tum etiam quod à principe iudicante non prouocatur, ad eos vero ab illis qui poteſtate commiſſa vtuntur à principe, ab inferioribus appellatur. Vnde Vlpianus l. 1. §. & quidem. ff. à quibus appellare non licet, ſtultum eſt inquit, illud admonere à principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit qui prouocatur: neque huic contrarium eſt, quod olim populus Romanus, quos conſtituit magiſtratus, hi abſolute imperarēt, aliæq; poteſtates alibi extiterint, qui etiam abſolute iudicarent inconſulto principe, à quibus deinde prouocare licitum non fuit, ſic etiam hodie à magiſtratibus & offitialibus conſtitutis ſub principe, fieri debere, quod illi plenam & illimitatam habeāt poteſtatem, quia illa poteſtas & iuriſdictio, qualis illa fuit Romanorum conſulum, non fuit ex fonte viuo per ſe aquas ſcaturiente, ſicut eſt in manu principis & regis, ſed commiſſaria, & delegata, proinde ſi quam exercuerint poteſtatem, ex nomine alieno, & non proprio illud feciſſe certiſſimum eſt, princeps enim aſſumpto principatu imperat, leges condit, & præter illas ſi æquum ſibi videatur immutat, veniam delictis concedit, & gratiam pœnæ: quod alius ſubiectus legibus facere nequit, neque circa leges quidquam immutare, ad principem ergo ſolum pertinet vitæ & necis poteſtas, ideo gladium commiſſum à Deo exercet, ideo remittit quibuſdam ſupplitia ex legibus determinata, dummodo in remittendis delictis modum non excedat, eaq; delicta atrociora impunita relinquat,

quibus non leges humanæ, sed diuinæ pœnam indicunt, quo pacto se non iustitiam facturum meminerit, sed iniustitiam, solum enim Deus iustus est, fortiusq; ius naturale ciuili, suffultum diuina simul lege, §. sed naturalia, instit. de iur. ciuil. natur. & gent. nec quicquam princeps facere potest contra pietatem & bonos mores.

Hinc & illud promanat cum suprema in leges à principe præmineat potestas, quod natalium restitutionem facere possit, quemadmodum ex lege ciuili inductæ olim seruitutes, quando seruus natus restituebatur natalibus, in quibus omnes nascebantur, sic nunc quasi regeneratione facta, ex lege humana, ideſt, principis, potest hæc eadem macula abstergi, & eos quos contra suas leges illegitimos constituit princeps, eosdem dignatur à suorum iurium nexibus eximere, ita tamẽ ne in hoc plus equo summorum pontificum constitutionibus, sanctorumq; patrum decretis contrarietur, qui alias leges de nuptijs & matrimonijs posuerunt, quibus etiam princeps obligatus est, suisque contrarium legibus statuere non potest, cum eo vsque sua non protendatur authoritas: neque intendit princeps in superiorem iurisdictionem exercere. c. non licet Imperatori. dist. 10. sed singulis sua iura immunitates & iurisdictiones remanentibus, quisque suum ad Dei laudem & Christianæ reipub. incrementum, secundum à Deo sibi subiectam materiam terminosq; præscriptos, exercebit munus.

Ex quibus facile, quantum à seculari principatu regimen ecclesiasticum differat, istudq; ab illo, cognoscimus, quantoq; nobiliorem hominis partem sibi ecclesiasticum vẽdicet, excellentioriq; medio, quia tamen vt in principio diximus vtrumq; deco-

rum

tum & ornamentum totius vniuerſi continet, mirabilemq; Dei omnipotentis in nos mortales prouidentiam deſignat, non tam literis longiorive verborum ſyrmate à nobis proſequendum, quam iuſto eſt iuxta pioq; amore admirandum, & ſuſpiciendū.

CAPVT XV.

Melius eſt habere Principem natiuum, quam peregrinum ex electione.

COeca generis humani cogitatio facilisq; boni aucupandi perſuaſio, quæ mala perſtant non videt, præruptaq; ſubitruit, ſuæ æmula virtutis eſt, & inimica rectæ dominationis, cupida alterius, & proprij oblita, fabulæ ſibi famam ſuperinduxit, naturamque humanam belluinæ ad inſtar ferocitatis commutando, honorem ſuum in quo poſitus erat, non intellexit, ideo comparatus eſt equo, qui olim fertur litem habuiſſe, & ſimultates geſſiſſe cum vno ceruo, quem ob naturæ ſuę ſuperbiam cum ſufferre non poſſet, neque ſufficeret ſolus uiribus, vt ſe de illo vindicaret, rogauit in auxilium hominem, cuius & auxilio, & directione ipſum ceruum facilè ſuperare ſperabat, cui ea conditione homo ſuppetias ferre ſpopondit, vt ſibi frenum inferre pateretur, quo & equum regere vehementioremq; in curſum extimulare poſſet, quod paſſus eſt primum equus, ſicq; inſtructus extraneis auxilijs ceruum ſubegit: verum cum propter obtentam victoriam ſuo auxiliatori gratias agere vellet, putaretq; ſe deinceps liberum futurum, vt antea, tunc demum cognouit ſe ob vindictam alterius nocendiq; cupiditatē, ſuum

proprium sibimet imperium & libertatem abstulisse, neque hucusque se ab hominum auxilio insessorum suorum regimineq; eripere potest.

Hæc sanè sola causa est, qua plurimi sapientes in cogitationibus suis euanescunt, & scrutantes scrutationes deficiunt, vt ait Sanctus Augustinus in hūc versum. Psal. 63. accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus, defecerunt scrutantes scrutationes, & consilia mala, non solum Iudæi Christo Redemptori nostro illudentes, custodiamq; sepulchro suo parantes, sed etiam homines christiani cum vafra regnandi cupiditate illecti, se ipsos vel fraude, dolove in dominationes ingerunt, vel legitime in regno succedentes impediunt, aliosq; suo captui vacantes subornant, non pensantes vnicuique à Deo certam & vocationem & functionem constituram, dierumq; vitæ terminos depositos, quos vt præterire non poterunt, nec sic quidem præter Dei vocationem ad sublimia peruenire.

Ambitio ait S. Bernardus subtile malū est, secretum virus pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, & vitiorum origo: est enim ambitio inanis affectio potestatis siue prælationis, vt docet Albertus Magnus lib. 2. sent. dist. 25. Inde exclamat S. Bernardus, potestatis ambitio Angelum fœlicitate angelica, ad quam erat creatus priuauit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliauit, non Euam cibus deflexerat, non mandatorum obliuio destituerat, sed promissio honoris illecebrosa decepit: & iterum, ò peruersitas, ò ambitio filiorum Adam, quod cum ascendere difficillimum, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores, parati ad celsitudines supra modum, ipsis etiam angelicis spiritibus

ritibus formidandi. Plerumque iſthæc intentio periculoſa, vt ſacri noſtri doctores docent, etiam damnoſa in lucifero, quando vel minimam cogitationem ad Dei altiſſimi gloriam aucupandam intulit, ſubito ſicut fulgur de cœlo, cum conſortibus ſuis detruſus erat: ſic quoque accidere videmus ijs, quorum animos inordinatus regnandi affectus ſubegit, vt neque impetratis vti liceat feliciter, quorum deſiderium infelix infauſtumq; principium fuit.

Leo Papa qui refertur 1.q. 1. ait, principatus quē ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiam ſi actibus ſuis vel moribus non offendat, ipſius tamen vitij ſui exemplo pernitioſus, & difficile eſt, vt bono peragātur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.

Dolo, & fraude plures perueniunt ad principatus, ad quos legitimè, neque lege ſucceſſionis, neque electione, neque conſuetudine populive ſuffragio peruenire potuerunt, quorum aliqui, vel nominis ſui generisq; authoribus ſuppreſſis, alijs diuitiarum affluentia, alij regnandi dexteritate, alij curatorum tutorumq; ſub ſpecie alienos ſibi vſurpauerunt honores, mentitaq; ſibi falſo eſt iniquitas, vt ſe talem fingerer, qualem veritas neſcit, neſcitq; veri regnandi poteſtas.

Veterum monumenta ſcriptaq; id paſſim declarant eorumq; finem, & imperandi initium, quale illud antiquiſſimum Semiramidis exemplum, cuius poſt mortem Nini mariti, tantus in filium ſuum relictum extitit amor; & regnandi cupiditas, vt dum filio per ætatis defectum, neque ſibi tanquam fœminæ tot tantisq; gentibus imperare liceret, ſumma vſa fuit aſtutia, atque ſi vera ſunt, quæ refert Marcus Antonius Muretus ex Græcorum commentarijs, ſe ſe cuiuſdam regis ancillam, & concubinam

fuiſſe

fuisse simulauit, cuius pulchritudine & amore captus Ninus Rex, eam sibi ex stupri cõsuetudine tantum deuinxit, vt nihil esset tantum, quod aut à rege petere non auderet, aut ei vicissim petenti cibi eodem denegaretur, sicq; tẽporis successu eum maximo teneri erga regem desiderio ait, rexq; quid tandẽ illud sit vbi effari iussisset, cuperem (inquit illa) vt vno mihi die sedere liceat in regio tuo solio, & ius dicere, mihiq; omnes vt tuo faciunt imperio, obtemperare, ad quod Rex subridens petita concessit, nec mora, edicto regis omnes ad parendum Semiramidis imperio conuocantur, dieq; constituto, illa solium regis conscendit, ibique omnibus sibi dicenti auscultantibus, dictisq; obtemperantibus, iubet satellitibus, ac stipatoribus corporis regij, vt regem ipsum comprehendant, quo comprehenso, iubet vincire, vincto iubet interficere, sicque ex diurno imperio, diuturnum effectum est, licet alios scribere dicat Muretus quinque diebus illam solum imperasse, adeoq; se obsequio & munificentia Assyriorum primoribus insinuasse, vt viro in custodiam reiecto, bona omnium venia, in regno perseuerarit, à qua tamen relatione Iustinus abstinet, eamq; mentito habitu formaq; virili per quadraginta duos annos imperasse sub nomine Nini, regnoq; Assyriorum Ethiopiam adiecisse, bellumq; post Indis illatum, cum filij sui concubitum ambiret, ab eo interfectam, scribit Iustinus in Trogo lib. 1. Plures hac vsi sunt impostura & simulato nomine, & genere, proximoq; existente, vel decipiẽre similitudine, nisi sunt, non tantum in priuatis, sed etiam in publicis rebus genus proprium mentiri, sed cum proprio ipsorum damno, vt refert Valer. Max. lib. 9. c. 1. de Sidonio quodam patria, simili vo

ce,

ce, statura ei facie Alexandro filio Herodis Antipæ, scribit Iosephus lib. 17. antiquit. iudaic. c. 18. qui post mortem ipsius verum se Alexandrum esse edixit, atque è manibus ipsorum, qui ipsum occidendi mandata habuerunt effugisse, cuius in tantum apud Iudæos fictio inualuit, vt pro rege ab eis haberetur, & veneraretur, eoque animo Romam venire adnixus, petijt partem regni paterni ab Augusto, ibique regio cum apparatu acceptus fuit à Iudæis cuius rei suspitionem habens Augustus, tandem suppositionem ab eodem extorsit, ac proinde regno exutus ad triremes damnatus fuit.

Quæ hominum varities, cum ab alijs prudentioribus hocque in negotio magnam experientiam habentibus, obtrudere non auderet, aliam nequitiæ suæ, & cupiditatis accommodatiorem viam adinuenire cœpit longiusq; à se omnem falsi doliq; suspitionem amouere: doli enim per se, sunt valde odiosi inter probos, eoque magis quo exitū habent magis crudelem, scilicet, dum paternorum bonorum, regniq; successionis se patronos & curatores profitentur, quod quidem officium non nisi ex decreto iudicis datur, quibus magna fidei probitas, vitæque, ac morum integritas accedere debet, simulque sacramentum, de pupillorum minorumve dānis præstandis, sicque Rex ordine omnibus constitutis nemo ambigit, quin talibus curatoribus regna imperiaq; committenda sint donec prouectę ætatis cursum consumant pupilli, neque de fidelitate, atque in rebus pupillorum tractandis sinceritate, damnisq; & noxis euitandis, quæstio instituitur, nisi vbi valde enormis fiat læsio minori, atque alia accedant adminicula.

Ast vero sub hac techna multi prodiere tyrāni, sce-

leratiores

leratiores præuiſis hoſtibus. Cum Andronicus iunior Græcorum Imperator, circa annum 1314. moriturus relinqueret filio ſuo Caloiohanni Palæologo nato duodecim annorum, tutorem Ioannem Cantacuzenum, is omiſſo tutoris nomine, non pro tutore, ſed pro vero Imperatore ſe geſſit, at poſt vnum annum ibi armis à Palæologo deiectus, vt ſcribit Laonicus Galcondylas lib. de rebus turci. & Nicephorus Gregoras lib. 11.

A Theodoſio relictis duobus ad huc filijs Archadio, & Honorio, Stilico cui mandata erat occidentalis imperij cura, & tutela, pendente minori ætate filiorum, oblitus affinitatis (erat enim ſocer Honorij) & immemor collatorum à Theodoſio beneficiorum, regnum filio ſuo Eucherio affectans, ingentia reipub. attulit mala, & cum ſæpe delere poſſet barbaros, fouit eos, tandem cum Eucherio & ſuis coniuratoribus trucidatus eſt, vt ſcribit Paulus Draconus lib. 13. de geſtis Roman.

Quæ dominandi cupido, deterrimaq; inſtruendarum inſidiarum facies, tunc maxime ſecure cœpit, quando populus faſtidiuit iugum prioris ſui Principis, ſuumq; collo iugum excutere cogitauit, quia enim varius populus eſt atque incontraria vulgus ſcinditur, ideo ſæpius immutari principes expetit, nihilq; non facit, quod ad deſtructionem prioris principatus atque noui inſtitutionem pertineat, neſcius quod melius ſit ſemper uincentis collum iugo iam trito & polito iubare ſupponere, quam nouo, quod adhuc impolitum & iubar, & collum equi vſque ad ſanguinē excoriat. Verum poſtquam aliquantulum reſedit, & aliam quam antiquam adminiſtrationem expertus eſt, ſtatim ad priſtinum relabitur, & ob minimas quidem occaſiones recurrit

currit ad consueta. Docurrunt idipsum rebus & operibus Franci qui cum regno Childericum decedere coegissent, ob stupra commissa per illum, & in eius locum elegissent Aegidium patriticum, qui à Romanis tuēdæ Galliæ curam susceperat, tandem eius pertęsi, Childericum reuocarūt, qui postea eorum ope, Aegidium expulit, pertimescentes ex mutatione Principum & electionem alterius generis effici, vt respub. regnaq; ipsa extinguantur, & in aliud nomen transferantur, aliamq; ditionem, Aimonius lib. 1. de Gestis Francor. c. 7. & pro eo quod ante illis dominatio ascribebatur, aliorum dominationi subijci incipiant, nullo existente ex genere regum, qui translationem impedire possit, vel iam factam, ad proprium suum ius reuocare, pro vt fecit Cyrus Rex Persarum, qui subacta Asia, & vniuerso Oriente in potestatem redactam à Medis, cuius rex erat, monarchiæ nomen transtulit, vt scribit Iustinus in .i. rursus Alexander Magnus Macedonum Rex, dominatis Persis & alijs, transtulit monarchiæ nomen in Macedones, Iustinus in vndecimo, & duodecimo, quod solitū etiam fuit Romanis, qui subacta regna moribus proprijs spoliarent & dignitate regia, eaque in prouincias conuertētes, vel alterius generis principatus, sub nomine romano. Sic & alię multæ fecerunt nationes, dum alijs potuerunt dominari.

Ex qua regum, regnorumq; mutatione illorum pristinus non solum perijt splendor, & dignitas, sed plane in alterius dominationem degenerarunt, ita enim principatus dignitatis dulcedo, hominum animos afficere assolet, vt semel occupata regna, aut nunquam, aut ægre dimittant, quin soleant omni studio technis, dolis, fraudibus, corruptionibus iam

imperantes (præcipue si filios habent) elaborare, vt eosdem adhuc dum superstites sunt filios, de eisdē regnis inuestiant, atque ad posteros suos transferat, omnemq; ea de causa lapidem mouere, & potius cœlum cœlo commiscere tentabunt, quam se ab ea intentione, & occupatione distrahi patiantur, hostiliq; animo repugnantes sibi persequuntur, tollunt, & in eorum locum alios subrogant.

Quod nefas prospicientes Cæsares antiqui, maturo consilio, vel filijs suis naturalibus, & legitimis reliquerunt imperia, vel adoptiuis, ne tot mutationibus per contrarias gentes & ambitiosorum hominum factiones discerperētur, pro vt fecit olim Henricus tertius Conradi Franci filius, dictus Niger, qui Capua regressus in Germaniam, filium suum Henricum quartum, quinque annos natum Cæsarem eligi, & Aquis grani coronari fecit, qui Henricus quartus suum quoque filium Henricum quintum, & Carolus quartus, Vvenceslaum filium suum, cui succeſſit Sigismundus frater eius, idem effecerunt, sic quoque adhuc viuente Friderico Imperatore, eius nominis tertio, Maximilianus Romanorum Rex creatus est, experientia namque docet, quanta cum nouo rege incommoda oriantur, vbi nouæ leges, noui magistratus, noui amici, noua consilia, noui inimici, noua vestimenta, nouus denique viuendi modus, in summa omnia innouantur, nec aliam sæpe ob causam, quam vt sui ex hac innouatione memoriam post se aliquam relinquant, quod quam damnosum sit, totique corpori reipub. lethale, plurima passim extant exempla: præter hoc namque quod ærarium commune atque patrimonium prioris principis exhauritur, dum qui ita principatus obtinent, eorum filios, agnatos, & proximos, qui

ante mendici erant, nobilitant, ditant, & ex domi nio prioris Principis replent: Quod etiam omnia iura & consuetudines, processus causarum, mutantur, qui enim nouè ad magistratus gerendos assumuntur, non semper quæ ex stylo maiorum recepta sunt, probare solent, sed semper aliquid noui adferre reipub. student, propriasq; iactare inuentiones, ex quo haud funestius aliquid reipub. accidere posse, autumo, quam si ordo & leges fori immutantur, & noua iuditiorum forma constituitur, sic enim & incerta omnia fiunt, & quæ illi, qui ante magistratu digne, & laudabiliter perfuncti sunt, vel studiosè inquirere vel longa experientia consultare solebant, prius inuertuntur, quam à sequacibus nouellisque magistratibus circumspiciantur, aut imitentur; vnde merito dixit Vlpianus l. Prætor. ff. de vacat. & excus. tollerabilius esse absentem iudicem qui iuditium agnouerit tantisper expectare, quam iudici nouo, rem rursum iudicandam committere.

Quibus addi potest & illud quantum ex talium magistratuum gestione, cum multa diligentia, studio & iuditij seueritate refrenetur licentia, & impiorum hominum coerceatur libido, audacia frangatur, & scelus extinguatur: at vero vix magistratum aliquem nouum, aut certe per paucos reperies, qui forti constantiq; animo impietati, & violentiæ, pro vt nonnunquam rei grauitas & delicti atrocitas postulant, se se obijciant, & iuxta legum præscripta in eos acriter animaduertant, semper enim illi sibi timent, ne potestate destituti à magnatibus, quorum crimina ex offitij ratione punire debuissent, detrimenti aliquid accipiant, at qui perpetua authoritate rerumq; exercitio longo, longaq; sapientia, & prudentia vsi sunt, horum nihil verentur, nec suum

commodum vtilitati principis anteponunt. Quamobrem recte mihi dixisse videtur Papin. l. iurisperitos. ff. de excus. tut. honorem delatum à principe nullis spatijs temporis circumscribi debere.

Neque illud minus periculum est, vbi ex lege successionis nullus futurus princeps est, sed ex electione noua inaugurari debet, quod magnæ insidiæ, multæ variæq; factiones, coniurationes, & occasiones oriantur, ne huic vel illi locus detur, dum enim se quilibet dignum arbitratur, ægre alteri cessio contingit, hic acta sua & heroica facta deprædicat, alius sua eadem, hic generis antiquitatem, auos, attauos, proauos enumerat, alius diuitias, potentiã amicos, sicque quisque pro se suisque certat, quod eiusmodi electiones principum externorum, vix aut nunquam sine inimicitijs cędibusq; finem suum consequantur. hos præmijs offitijsq; afficiendo, qui pro parte sua erant, vt ad principatum venirẽt, alios autem qui non consenserant, odio prosequendo, ex qua diuersitate actionum, animorumq; dismembratione nunquam talis libere imperare poterit, perinde ac is, qui à nemine electorum dependet, quod neque ad emendationem eligentium, neque ad plenam reipub. administrationem accędit, non enim ijs confidere potest, quibus inuitis præest, vnde occasiones quærunt, vt citius moriatur, impatientes namque probitatis sunt noui principis, milites aulici, qui antea sub alio principe ex tyrannica licentia & rapinis viuebant, ideo sæpe bonos principes quos fouere & defendere debebant, vt sibi aduersarios, aut dolis, aut venenis, aut aperte interimunt, cuiusmodi infortunium, malam & metu plenissimam conditionẽ principum Electorum refert, dilucidisq; verbis explicat Aurelius Victor, in epi-

tome Cæſarum, Neruam Imperatorem inducens, cui cum Antonius in curia nomine Senatus gratularetur, is ex omnibus conditionem imperantium exprimens, prudenter gratulari ſe ait Senatui & populo prouintijsq;, ipſi autem Neruæ nequaquam, cui ſatius fuit malos principes ſemper eludere, quã tanti oneris vim ſuſtinentem non moleſtijs modo, & periculis ſubijci, ſed famæ etiam inimicorum, & amicorum, qui cum ſe mereri omnia præſumunt, ſi quicquã non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus, illiciuntur ad necem regnantium, pollicitis ambientium dignitatem, crudeles, & auari, qui eos à quibus magis ſperant potius ſequuntur, quod non timendum eſt vbi per ſucceſſionem ex genere princeps certo futurus eſt.

Hancque ex genere ſucceſſionem omnes omniũ temporum nationes & gentes approbaſſe legimus, atque inter ferociores etiam populos id obſeruatũ fuiſſe, neque natura factum & iure gentium ciuili & diuino comprobatum.

Cum Deus olim inueteri lege de rege conſtituendo legem tuliſſet, poſt quam ex numero fratrum fieri illum dixiſſet ac prohibuiſſet alterius gentis hominem fieri regem, qui non ſit frater eius in calce cap. 17. Deuteron. proſperitatẽ, & vitam longeuam pronuntiat illi futuram, qui ex ſemine priorum regum populum Dei recturus eſt vt longo tempore (inquit) regnet ipſe Rex & filius eius. Vnde & Paulus præcipit parentibus pro filijs ſuis theſaurizare, naturalis enim eſt ait Ariſtot. amor generantis ad genitum, atque ſuorum bonorum hæres patrisq; virtutum & factorum præclare imitator filius pro quo ab Imperatoribus patria poteſtas inducta fuit, eaque nonniſi iure permittente ſoluenda venit.

Idem videtur olim expressum quando in veteri lege prohibitum fuit simul in boue & asino arare dupliciq; veste tegi ex bisso lana contexta. Quod & si non tam ad seculares dignitates, quã ad religiosorum habitum transferendum videatur, tamen æqua exinde à spiritualibus ad secularia comparatio ducitur, neque alia Sanctorum Patrum mens institutumq; fuit, dum serio sacrorũ Canonum decretis, ne aliquis laicus ad ecclesiastica se se immiscear, vlloque priuilegio, & immunitate gaudeat prohibuerunt, quam quod non ambitione, sed labore ad augmentũ honoris vnumquemque peruenire notarent. Innocentius tertius in c. offitij tui, de elect. prohibet, eum qui antequam esset discipulus, magister fieri voluit, eligi, quantumcunque is in regula religiosorum versatus & probatus fuerit, nec huic iuri vlla in contrarium consuetudo obstare poterit, quæ non tam consuetudo, quam bonarum legum corruptela dicenda est, quoniam, vt ibidem glo. notat, laicus nunquam potest elegi, aut postulari in Abbatem, quantumcunque versatus sit in regula monachali, quia eiusdem professionis debent esse, qui eligunt & qui eliguntur, ne quasi in boue, & asino simul arari videatur. Idem probatur ex cap. cum ad nostram, & c. cum monasterium ibidem, de elec. & toto illo titulo per scribentes; vnde cum patris sit honor filius, atque de natura & substantia ipsius, merito ipsi sicut in natura sic etiam in dignitate succedet, populoq; gratior erit talis ex successione, quam extemus alius ex electione: filij namque principum, & proximi, iam sunt eiusdem gentis, atque nobiscum quasi enutriti, qui & mores populi norunt & vires, quatenus & quando, & de quibus sit interpellandus, populusq; libentius mores princi-

pis tollerat, quia illi aſſuetus eſt, talesq; proximos principes viuẽtis veluti alumnos & conſortes ſunt, & illi populo cõuictu communi, facti quodammodo amici ſunt. Ita ſane neque vllo pacto iſthanc ſucceſſionem iura conuellere ſinunt, vt nec ex delicto quæ priuari digni forent poſſeſſores, priuandos ſucceſſores non delinquentes ſtatuerunt, idque non ſolum in minoribus, ſed etiam in poſthumis cenſuerunt: cum enim dignitates & principatus ad quos filij principis ius habent, non proueniãt eis ex perſona patrum, & auorum aut maiorum, ſed de noua iure ſuperuenturo, poſt damnationem patris nunquam ex delicto parentis eodem filij priuari poterunt, pro quo ſingularis eſt lex tertia, ff. de interdic. & releg. vbi Alphenus iuriſconſultus reſpondit eleganter, eum qui ciuitatem v. g. amiſerit, nihil aliud iuris adimere filijs, quam quod ab eo peruentum eſſet, ſi inteſtatus in Ciuitate moreretur, hoc eſt hæreditatem eius & libertos, & ſi quid aliud in hoc genere reperiri poteſt, ea vero quæ non à patre, ſed à genere & natura filijs competunt, manent eis incolumia, & ſi pater amiſerit dignitatem ante conceptionem vel editionem filiorum, vt ait Vlpianus l. emancipatum. §. fin. ff. de ſenator. quia ergo hoc ius non pendet à patre, ſed à lege, vel natura, nullo modo filijs legitimis ſuccedentibus & non delinquentibus eripi debet, neque ratio id permittit, quod qui non delinquit pœnam alterius pendere debeat, cum vbi delectum non eſt, pœna adeſſe nequit l. ſi pœna, & l. crimen. ff. de pœn. neque caſu negligentię, diſſipationis, aut bonorum dilapidationis filium ſuum quis ſucceſſionis iure priuari debet, ſed ei adiutorem ponere l. conſulto, & l. 1. ff. de curator. fur. & glo. ad verbum regis, in c. grandi, de ſupplen.

negl.

negl.præl,in 6.ad imitationem furioſi,vbi Regi Portugalliæ à Papa coadiutor datus fuit, vbi Innocen. in ducib,& comitib.idem locũ habere dicit,quemad. & proceres regni Hungariæ potentiſſimo Vladislao, poſt quam in apoplexiam incidiſſet, comiti magni Stephani filium coadiutorem poſuerunt,vt ſcribit Linturius in appendice ad faſciculum temporum, anno 1504. neque ob naturalem aliquem defectum, vt claudicationis, cæcitatis, ſurditatis, aut ſimiles, hoc ius eliminabitur, ideo quod per ſubſtitutum idem præſtari poterit, vt patet in conſtit.feudalib. lib.1. tit.36. vbi iſthæc reſoluuntur, & gloſſa ibi notat, ſeruire poſſe per ſubſtitutum, maxime ſi feudum non ſit perſonale, nam in feudo ex lege inueſtiturę ſeruitium debetur Domino,in principatu vero libero, nemo legem principi imponit, etiam ſi is ſit parum idoneus in ſua perſona, quod confirmat Herodotus lib. 5. exemplo Lacedæmoniorum, qui mortuo Anaxandride Rege Spartanorum, Cleomenem eius filium ex lege, quia maximus natu erat crearunt, quam alijs fratribus natu minorib.

Extat præclariſſimum reſponſum Friderici quem cum Bohemi, & Hungari Alberto Ladislai filio vita functo, Cæſarem ſibi regem peterent, is abſit (inquit) à me hoc,vt patrucli meo hæreditatem paternam auferam, Aeneas ſyl.lib.2. com.de reb.geſt. Alphonſi. Ita capta Tyro vrbe per Alex. magnum, & Stratone Rege, ob Darij amicitiam de principatu deiecto,cum Hepheſtio cui delegauerat Alexander curam præficiendi regem,vellet diademate aliquem ex Tirijs ſuum hoſpitem honorare, recuſauit is oblatum benefitium, quia nullo cognationis gradu regium genus cotingebat: Quare facta deinceps in-

inquiſitione an aliquis regiæ ſtirpis extaret, Bellonymus quadam repertus eſt, qui genus regium duxit, prudens & optimus, at infimæ paupertatis homo, cui nihilominus Aepheſtio Diadema regium imponere contendit, quo ſic impoſito eundem, qui antea craſſo panno indutus, alijs regijs veſtibus circumamictum, produxit in forum, & Tyrijs regem eſſe iuſſit, aſſentiente ſummo cum aſſenſu populo.

Hic patet ex tacita & expreſſa omnium gentium obſeruatione, regna quæ per ſucceſſionem deferuntur, ijs ſolis qui de genere regio erant, collata fuiſſe, nec vllus vnquam factionibus hominum cõtrarium paſſum; vbi vero vi, & tyrannide id ſibi aliqui appetiuere, diuturnum non fuit, ſed alijs ex genere iterum ſuboris, eadem vi & tyrannide repetiuere.

Hinc eſt, quod quoſdam populos, reges ex vno eodemq; genere habuiſſe legimus, vt Lacedæmonij & Macędones, vt ſcribit Cornel. tacit. ſecundo hiſt. & Diog. Laert. in tertio, & Iuſtin. ex Trogo, 15. lib. ſic apud Perſas Reges ex genere imperaſſe refert Strabo lib. 15, apud Aegyptios, eandem regum per ſucceſſionem conſiſtentiam permanſiſſe, ſcribit Herodotus lib. 2. à primo rege illorum vſque ad vltimum Sethonem, nulla interruptione facta, qui illorum ſimul & rex & ſacerdos commemoratur, eorumq; regum numerum eſſe 345. per continuam ſucceſſionem ex genere.

Neque abs re erit dicere, huic regum & imper. ſucceſſioni latiſſimum attuliſſe fundamentum inclytam Auſtriacorum familiam, cuius & ſi nõ per continuam ſucceſſionem familia, in Regibus & Imperatoribus reſplenduit, ita tamen alijs omnibus longe lateque dominatur, ad ortum, occaſum & auſtrum, vt nullum aliud huic coæquari poſſit, cuius

paternum quidem genus à nobilissimis Romanorum principibus deductum, iam post annum 1272. maternum vero longissima seire trahitur à regibus Burgundis, qui Christo numen dedere sub anno 491. maiores vero iplorum multo ante regnarunt, anno n. 370. IMPERATORI VALENTINIANO contra Alemanos affuerunt, Sobolemq; se esse Romanam, iam inde à temporibus priscis inquit Ammianus, lib. 28. iactabant. quod scilicet confœderati Romano populo essent, atque sic merito cietur genus illorum, quod supra annos mille ac ducentos late dominatur: ex quo consequitur Austriacos gloria splendoreq; nominis multo Illustriores in omni orbis parte existere, vnde & ipsi laudentur & extollantur, vel ab ipsis æmulis inuidia perculsis.

Huic affinitates summæq; necessitudines longe clarissimæ cum primis orbis terrarum regibus intercesserunt, atque ex præclarissimis fœminis regum maximorum filiabus, Austriaci prognati, fœminas genuerunt, ex quibus deinde nati sunt totius Europæ potentissimi Reges & Imperatores, in Asia Africaque, latè dominantes.

Quid vero commemorem PHILIPPVM primum, qui acquisiuit Austriacis regna Castiliæ, Legionis, Toleti, Hispalis, Murtiæ, Andaluſiæ, cæteraq; his adiuncta, Canarias insulas Indiarum occidentalium, Burgundiam præterea, quindecimq; præterea flandriæ attributas prouincias. Quid CAROLVM V. eius filium qui cætera Hispaniarum loca insuper vero Sardiniam, Siciliam Neapolitanum regnum, Ducatum Mediolani, ac latissimas Indiarum occidetalium siue Americæ regiones adiecit, Quid PHILIPPVM secundum qui præter innumeras alias earundem Insularum plagas, atque in his de

ipsius

ipſius nomine dictas Philippinas inſulas, orientales etiam, Luſitaniæq; regnum poſteritati ſuæ parauit.

Poſt quos à RVDOLPHO primo ſub anno 1272. Imperatore Auſtriaco, ſinguli vſque ad noſtra tempora Auſtriaci, ſemper aliquid adiecerunt auitis, ſuis ditionibus, quo poſtea vita functo, alijs interiectis, reuixit in ALBERTO Imperatore Romanorum, atque deinceps in FRIDERICVM tertium Imperatorem Romanorum tranſcendit, qui genuit MAXIMILIANVM primum Imperat. poſtquam is geſſiſſet rerum ſummam 53. annis. MAXIMILIANVS vero genuit PHILIPPVM primum regem Hiſpaniæ, qui poſtmodum alios duos genuit Imperatores GAROLVM quintum & FERDINANDVM. FERDINANDVS Imperator genuit MAXIMILIANVM ſecundum Imper. Rom. aliosq; duos filios FERDINANDVM Principem Tirolen. & CAROLVM Archiducem parentem moderni Archiducis FERDINANDI in Styria. MAXIMILIANVS porro genuit RODVLPHVM ſecundum Imperatorem inuictiſsimum, & glorioſiſſimum, cui nunc ſumma rerum mundi obedit, auſpicijsq; felicioribus ſucceſſus exoptat proſperrimos. Ex quorum omnium ſerie octo numerantur Imperatores Romanorum, quorum virtus immortalis nominisq; altitudo perennis, ſupra quadringentos annos illuxit, multa æternaq; laude, atque per contrariam in Imperatoria maieſtate ſucceſsionem ſupra ducentis annis corruſcat, vſque ad finem mundi in clariſsimis per totum orbem diffuſis germinibus permanſura.

FERDINANDVS equidem Archidux auſtriæ, vt legitimus, & naturalis paternorum iurium hæres, veruſque ſucceſſor, propagandæ eiuſdem au

striacæ gentis gloriæ, & maiestatis cupidus, virtutis, & pietatis religionisque catholicę amantissimus, ad illius successionis seriem contribuendam summam charissimi patris sui Caroli prouidentiam expertus est, dum sibi ad instar aliorum regum & Imperatorum de regno, & prouintijs paternis ab eodem prospectum fuit, ætatique suæ consultum, ne interim vllam vel vim, vel tyrannidem, aut sinistram machinationem experiretur, quæ omnia effecit & præstitit RVDOLPHVS Imperator Romanorum modernus, qui cura, solicitudine & industria sua paterna, hęc omnia iura contutus est, omnibusq; prouintiarum statibus prospexit, ne quid ad illorum vel vtilitatem, vel necessitatem, deesse possit. Vtque hæc sunt optimi parentis in filium suum argumenta certissima, rectaque fidorum in pupillos curatorum vigilantia, sic FERDINANDO præ alijs omnibus debebatur successio, non solum quia maior natu reliquis fratribus est, sed etiã quia regno proximior: cuiusmodi mos non in nostris primum inualuit regionibus, sed ita ex consuetudine iuris gentiũ vniuersa pene imperia, regna & principatus ad vnum, eumq; vel primogenitum, vel proximiorem deuoluuntur, quem morem vtilissimum esse, & regibus & regnis, ipsa docuit experientia, maior enim virtus est & fortior vnita cum partibus, quam in partes dispersa, maiusq; cõmodum habet populus in vno gubernatore, quam ex plurimis, cũ se plurium intentioni, & gubernio difficulter accommodare possit, neque vnum a pluribus, sed plures ab vno accipiunt progressum.

Inter Parthos morem istum receptum fuisse scribit Iustinus lib. 41. ex eoque post mortem Arsacis regis Parthorum maiorem natu filium eius Phar-

nacem,

nacem, iuxta gentis morem regni hęredem factum, ipſumque poſt vita functum multis poſt ſe liberis relictis, omnes præterijſſe, atq; regnum in fratrem ſuum Mithridatem tranſtuliſſe, plus ſe regno debere, quam patrio nomini ratus, potiuſq; patrię quam liberis conſulere; ſic apud Perſas Herodotus in 7. & apud Lacedæmonios, vt mortuo rege maior ex liberis eius impararet. Plutar. in Ageſilao.

Neque conſonum videtur rationi & regnis commodum, ſi regna, & imperia inter fratres diuidantur; ſiquidem ex iſta diuiſione facile dignitas, & ſplendor familiarum interibit, viliores reddentur inter plures dignitates. fore autem melius cauere ne alij ad ſtirpem redigantur ſed ſufficienti prouiſi penſione, vel bona ad eorum & ſuorum vſum concedi debent, quam diu uixerint, reuerſura proprietate ad principalem, deſinente parte, ſicque ſemper faciendum, ſi quandoq; ſimultas inter fratres oriatur; ad arbitrium bonorum virorum iudicarem, ne ex ſimultate odium, ex odio homicidium aut vitæ inſidiæ inſtruantur.

Hoc inſuper ex Dei ordinatione, & ſanctorum Patriarcharum vſu præceptum habemus, quod ſucceſsio ſeruari debet, & ordo in adeundis hæreditatibus, ſi quidem vt ait D. Chriſto: Hom. 51. in Gen. ſummum honorem primogenitis habitum ſemper, quod ex eo patet, quando Deus Aegyptios pro meritis affligere voluit, in pœnam eorum omnia primogenita occidit, quare Aegyptus luctu impleta
„ eſt (Exodi 12.) & Iſrael exultatione, quia eorum
„ primogenita non fuerunt occiſa, ſed ſibi offerri iuſ-
„ ſit Dominus omnipotens. Magna quoque dignitas habebatur primogenituræ, quam Eſau habens natura, vendidit ob intemperantiam fratri ſuo Iacobo,

colo, qui demum quod natura non habuit, accepit. Gen. 27. honoratiores etiam, & chariores esse primogenitos dixit Philo Iudæus in Agrippæ oratione, ad Caium, & Plutar. in vita decem Rhetorum. Cuiillud etiam accedit primogenijs ne propter immaturam ætatem ab hoc priuilegio repellantur, vbi nedum infantibus iam renatis, sed adhuc in vtero matris existētibus prouisum est, quod in iure suo successionis conseruentur, datis tutoribus, vel curatoribus, qui interim dum ad iustam ętatem peruenissent, administrarēt. sic refert Nicephorus Calixti lib. 7. cap. 20. Saporem regem nouum Persarum in vtero matris anno Domini 310. coronatum, & moriens Ludouicus cognomento Balbus Gallorum Rex, reliquit vxorem prægnantem, ex qua natus est Carolus cognomento simplex, qui tandem sublatis nothis, & spurijs Balbi, solus vt verus rex admissus est. Paul. Aemil. lib. 2. qui primo quidem habuit curatorem Eudonem, eo tamen regnum affectante, & postea deturbatus, Carolus restitutus est.

Meminit Aghatias lib. 10. de bell. gall. legem Francorum fuisse, per quam pueri cuiuscunque ætatis fuissent, ad regnum vocabātur. Dignus æternaq; laude videtur Isdigertes Rex Persarum, ob præclarum factum in Theodosium, cum enim Archadius Imperator, ne filio suo iuniori Theodosio, post mortem suam quicquam sinistri contra vitam eius & imperium contingeret, & ante mortem Isdigertem curatorem eius, & imperij, donec in virum euaderet fecisset, is vbi cognouit Isdigertes, re ea minime neglecta nouum quoddam admirandæ virtutis exhibuit specimen, pace namque prolixa centum annorum inducijs cum Romanis initis, Imperium Theodosio quo minus periclitaretur, conseruauit.

Insu-

Insuper ex oraculo Delphico responsum fertur quod consultum mortuo Aristomenio Rege Lacedæmoniorum, à Lacedæmonijs non quidem num succedere deberet quis ex filijs recens natis geminis, in cunis existentibus, nam hoc ex lege certum fuit, sed quis ex duobus, respondit vtrumq; regem esse debere, sed magis primogenitum honorandū, vbi oraculum non contempsit infantiam in regni successione ordinaria, sed & eam admittendam, & conseruandam in iure maiorum dixit. Sic Carolus sextus Galliarum Rex, ætatis suæ anno 13. & Athalaricus octo annorum cum successit regno Gothorum, quod rexit sub gubernatione Amalatiuntæ matris, Procopius lib. 1. de rebus gall.

Etat Salomon iuuenis regno succedens 2. Reg. 1. duodecim annorum Manasses, filius Ezechiæ cū regnare cepit in Iuda 4. Reg. 21. 2. Paralip. c. 23. sexdecim annorum Azarias 4. Reg. 15. Omitto infinita propemodum iuuenum & puerorum regum successiones, qui à subditis fuerunt agniti, vt legitimi & naturales. Nec vnquam aliud probauit iustitia Romanorum, qui mortuis regibus eorum filios non priuarunt regno, & successione, sibiq; addixerunt, sed datis tutoribus & coadiutoribus minoribus, alios omnes aliunde regna, & principatus inuadere cupientes, pœnis & legibus compescuerunt, idque solum ob eam causam, ne regna in gentes alienigenas aut falso suppositritios deuenirent, indeque familiæ certæ & nobilitatis status hominibus promiscuis commiscerentur, cuius rei non minus ratio habenda est, atque vt illegitimi arceantur, illos enim alienigenas dominantes vt oderunt nationes, sic illegitimos dominantes oderunt Deus & leges ecclesiasticæ, vtrumque patet ex variis eo-

rum

rum gubernationis incommodis. Proinde apud Lacedæmonas legibus cautum fuit, ne peregrini & extranei in vrbem reciperentur: legem olim Romę Petronia, & Papia, extranei à Ciuitate fuerunt expulsi, quia facilius seditiones & rebellandi occasiones inde oriuntur. Vnde etiam in omnibus antiquis rebus publicis, & ciuitatibus liberis etiam nunc, tantum abest, vt principes alienigenæ eligantur, quin quod magis est, nec patiuntur peregrinos, nisi ex meritis illisq; probatissimis: neque facile admittuntur inter ciues ex concilio prudenti Monothetarū, solent enim ciues ex peregrinis dolos & fraudes addiscere, temporisq; progressu malis & dissimilibus moribus imbui, nec non in alienas leges ritusq; & ceremonias abire, vt scribit Aristot. 7. Polit. c. 6.

Vt autem hæc difficilia sunt in populo, sic multo difficilius erit nouo Principi & peregrino assuefieri, aut ipsi persuadere aliud iustum videri, quam sibi & moribus fideiq; suæ videatur, ideo Deus iussit leges obseruari & modum præscriptum in eligendo rege, ne scilicet sit alterius gentis homo, præuidens per extranei imperium, non tantum leges ciuiles immutari, sed ipsam quandoq; etiam in subditis fidem & religionem.

Grande malum est ex supposititiis regibus & nothis gubernari vt enim sunt plerunque audaces & ad vitia paterna etiam maiora procliuiores, ita rebus publicis regnisque & populo molestiores, ad hæc non posset haberi maiestatis discretio in Imperio, vbi imperaret turpitudinis perpetuum exemplum, & in spurio regnante, impudicitiæ regis perpetua & continuata memoria, qua ratione Deus ab Ecclesiæ administratione eiiecit ex scorto natos, Deut. 23. & deinceps iura pōtificia & ciuilia c. cum

in

in cunctis, & c. innotuit, de elect. c. filij. c. penult. de filijs presbyt. l. 3. §. spurios. l. spurij, ff. de decurio. nec quidem nisi magna ex necessitate aliquando præclaraq; probitatis aut eruditionis exemplo, non successionis iure ad dignitates permittuntur: Neque vlla coniectura probari potest instituentium principatus mentem aliquando fuisse, vt nothi qui probro sunt omnibus, imperarent iure agnationis, quæ nulla est, vt quæ insertione vilissimorum hominum per concubinatum susceptorum splendidissimæ familiæ conspurcarentur, licet aliquando in tantum inualuit quorundam Principum excæcatio, vt inter legitimos filios & in honore, & regni partitione spurios coæquarint legitimis & naturalibus filijs, tamē experientia constat, exilium partitionis & successionis fuisse valde infaustum, & populo & ipsis legitimis & naturalibus, qui diu non potuerunt conuenire cum illis. Qui legerunt historias, varia & formidanda exempla inuenient, de eiusmodi nothis & spurijs imperātibus, abstinebo ego à nominibus, & relatione illorum, ob honorem & reuerentiā quem rectis verisq; principibus semper detuli. satis erit exemplum Ismaelis inducere, qui ex Ancilla natus, persequebatur legitimum Isachum filium liberæ, vt merito iussum sit ab Abrahamo patri, eijce ancillam & filium eius. Gen. 16. Neque illos admisit ad substantiam hæreditariam, sed seorsim illis munera distribuit. sic Abimelech spurius Gerobaal. Iud. c. 9. seu Gedeonis, vt regnaret post mortem patris, occidit 70. fratres filios patris naturales & legitimos, super vnum lapidem, excepto minimo Ioathano, vnde ad iram Dei effugiendam merito à talibus abstinendam ducimus, ad illosque recurrendum, quibus & natiuitatis honestas & parentum

decus, aliaque Principum respondent encomia.

Quia vero vt opinor pluribus probatum est, felicius & Deo & hominibus iucundius futurum regimen, sub principe natiuo ex successione, quam ex alieno per electionem facto, quod vtrunque tum ex commodis & incommodis pariter clarum euadit. Forsan abs re non erit, tacitæ quorundam obiectioni respondere, quare scil. Romani Pontifices, identidem Sacri eiusdem Rom. Imperij Cæsares eligantur, & non per successionem ad summas rerū proueh antur? Illud namque, etsi in veteri lege factum reperiamus per hæreditariam successionem, ne tamen ex & iuxta carnalem propagationem ecclesiastici muneris verique sacerdotij Iesu Christi dignitas & Imperium vsurparetur, voluit ipse Christus, non tam generis propagatione, quam sanctitatis, & morum doctrineq; meritis idipsum moderari, sicq; fit, vt religiosissimi quandoq; viri omnis generis in cellulis suis latitantes, ad pontificiam dignitatem Spiritus sancti ductu eligantur, quod si per successionem fieret, potētioribus semper & forsan minus dignis conferretur. Sic de Imperatoribus Romani Imperij in sacris Canonibus prouisū est, vt per Electores creentur, & non per successionē, de quo aliās. Vnum pro calce huius materiæ quærendū est quid opus facto, si duo vna simul in orbem ex vtero materno prodirent principes, vt in Esau & Iacob contigisse legimus, vter illorum in regno succedere, vel præcedere debeat, cuius propositionis ea ratio est, poterit enim fieri vt ambo simul in vtero matris eodem tempore concepti, pariter vitalem auram ingrediantur, vbi non magis vnus quam alter primogenituræ ius sibi vendicabit, atque manifestius apparebit propositio, si per insectionem matris sic duo

gemini

gemini concepti, & viuificati, animatiq; fętus in lucem eripiantur, vbi non erit vel difficilis ratio, vter illorum præcedet, cuius & illud difficultatem adauget, quid iuris ſi, ut in Abrahamo accidit gemini naſcantur partim ex libera partim ex ancilla, vel partim ex honeſta, partim ex concubina? Cui pro nunc quantum mihi viderur reſpondendum, quod in Eſau & Iacob. Gen. 25. licèt gemini dicantur, & vere fuerunt ratione conceptionis, tamen quia non illius ratio attenditur, ſed ortus & progreſſus ex vinculo matris in mundum, ideo illam qui prior lucis vſuram acceſſit primogenitum dicam, nõ alterum, qui poſt ipſum ſtatim ſubſecutus eſt; neque enim vt inquit lex Areſcuſa. ff. de ſtatu hom. natura permittit ſimul vno impetu duos infantes de vtero matris excedere, vt de ordine naſcentium non appareat. Si vero non appareat manifeſtè, quis prior ex geminis editus fuerit, reſponſionis Conſilium dat Vlpianus in l. ſi fuerit legatum. ff. de reb. as dub. plane (inquiẽs) ſi ita libertatem acceperit ancilla, ſi primum marem peperit, libera eſto, & hæc vno vtero marem & fęminam peperiſſet, ſi quando certum eſt, quid prius peperiſſet, non debet de eius ſtatu ambigi, vtrum libera eſſet nec ne, nec filia; nam ſi poſtea edita eſt, erit ingenua, ſin autem hoc incertum eſt, nec poteſt per ſubtilitatem iudicialem manifeſtari, in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet, vt tam ipſa libertatem conſequatur, quam filia eius ingenuitatem, quaſi per præſumptionem priore maſculo edito. De inſectione porrò matris difficilius forte eſt reſpondere, nec tam certa ratione humana quam longa, & accurata obſeruatione nutricis id deprehendi poſſe antiquitus opinatum fuit, vt cuius maior foret in matre dilectionis affe-

ctus,eiusdem etiam primogenituræ iura reiplenderent; vbi vero nulla humana obseruantia sufficere posset ibi secundum consilium aliorum in vtrumq; fore diuidendum imperium, pro vt sentit Io. Andreas ad Spec. lib. 4. p. 3. de feud aut vt alij putant, sorte esse litem discriminandam.

De libera vero,& Ancilla casus resolutus est in le
,, ge Domini, quæ extat Deut. c. 21. Si habuerit homo
,, vxores duas vnam dilectam alteram odiosam, ge-
,, nueritq; ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ pri-
,, mogenitus is, volueritq; substantiam inter filios di-
,, uidere, non poterit filium dilectæ facere primoge-
,, nitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ
,, agnoscet primogenitum, dabitq; ei de his quæ ha-
,, buerit cuncta duplicia, iste est enim principium li-
,, berorum eius,& huic debentur primogenita. Quæ de regnorum & principatuum successione intelligenda non sunt, sed de alijs ex hæreditate subministrandis, sic enim non extulit primogenita Deus, vt vel ex nefarijs concubitibus procedentia, vel alio vago concubitu nodeuntia, honestis & legitimis prolibus præferri debeant: nam Iacob maledixit Ruben primogenito suo, quia ascendit cubile patris sui, & maculauit stratum eius Gen. 49. sed potius vt quia præuisa à Deo, & natura, ita etiam medio ad hoc congruenti prouenientia ad id quo instituta fuerint, operi præficerentur & hæc de hoc capite hactenus.

CA-

CAPVT XVI.

Quod Ferdinandus Archidux Austriæ sit talis Princeps qualis hactenus descriptus est.

SCio quam plures hactenus ab offitio Dei veritatem dicendi abstinuisse, domique suæ claudi ad instar sutoris (vt dici solet) delituisse, ne vel iuditium aliorum temerarium incurrant, vel adulatorum cętui connumerentur, quorum vtrumque vito bono, & honesto fugiendum est, maxime, ne adulator fiat, & si ex hoc iuditium falsum ab alijs accipiat, nec ob alterius iniuriam, veritas tacenda est, neque proximi salus omittenda, sic enim Christus saluator noster opera bona facere nos docet, non solum in abscondito, sed etiam coram hominibus, dummodo oculus noster rectus sit, quantumuis debacchentur in illa inimici crucis Christi, & pseudo Prophetæ ex illis occasionem sibi calumniandi accipiant, oportet enim scandala esse, sed ve homini illi per quem scandalum venit, nec ideo quia ego bonus sum, ait Christus, oculus tuus nequam esse debet, aut quia ego bonum bonis rependo, exinde calumniari debes, est namque intentio iudex actionum; neque Christus intendebat operibus suis sanando & benefaciendo hinc inde, laqueum iniicere Phariſæis, quia vero ipsi mali erant, sibi causa ruinæ extiterunt ideoque ea te perditio venit Israel.

Adulari nunquam bonum esse potest, si quidem nec ipsa veritas placendi causa, dicenda est, multo vero minus mendaciū, quod natura sua, ex eo quia men-

mendacium est, vtique turpe est ait Sanctus Aug. lib. 10. cap. 14. est autem adulator omnis veritatis deterrimus hostis, qui quasi clauum figit in oculo eius, cum quo sermonem conficit, ne quod sub verborum lenocinijs venenum latet, possit respicere.

Scio ego etiam quantum reipub. & principibus malum adulatores inuexerint, puluillosq; sub cubito iacentis posuerunt, vt quod corrigi ex culpa defuerat, in eo fulti laudibus, molliter conquieuerũt, væ igitur illis dicit Sanctus Gregor. moral. lib. 18. p. 4. cap. 3. ad 27. cap. Iob. hinc rursum scriptum est inquit ille, ædificabat parietem, illi autem liniebãt illum, parietis quippe nomine peccati duritia designatur, ædificare ergo parietem, est contra se quæpiam obstacula peccati construere, sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerse agentes edificant, ipsi adulantes, quasi nitidum reddant, sed Sanctus vir sicut bona de malis non æstimat ita iudicare bona de malis recusat, dicens, absit à me, vt iustos vos iudicem, donec deficiam non recedam ab innocentia mea.

Vellem equidem ex factis quorundam principũ demonstrare, quos isti in grauissimos errores adulationibus suis detruserunt, manifesteq; ostendere, quam sint isti huiusmodi homines indigni, vt latere Principis assideant, nisi quod Sanctus Hieron. lib. 1. prouerb. ætate sua deplorabat, hoc miserrimo tẽpore adulationis vitium ita sceptrum obtinuisse, vt submissionisq; & beneuolentiæ loco ducatur: Contra vero qui ab eo abstinet maleuolus aut superbus existimetur, sed forte de hoc alibi; proinde nos ne assentationis ad saxa proiecti, vlli vel secularium, vel ecclesiasticorum principum adulari videamur, quid veritas ipsa sit mox aperiemus, ac in

hoc

hoc veritas consistit, multorum bonorum ore con celebrata principum regumq; glotia, quæ aliud nihil est, quam assequi finem propter quem opus sibi, commissumq; munus & persona gerenda erit: Hoc vt plurimi expetiuere, sic etiam plures à vera gloria laudis & veritatis errauere; à fine enim sumitur modus eorum, quæ prouehunt ad illum; Deus autem nobis proponitur colendus ac fruendus, tantoq; melius & efficacius ipsum contemplabimur, quantum actiones nostræ ab eiusdem cognitione, & amore procedunt, tuncque actiones nostræ & operationes stabilitatis habebunt pluris & efficaciæ, si illarum finem Deum constituerimus: dum vero ita à nobis constituitur Deus omnipotens & colitur, cęlitumq; & sanctorum cętus beneficentissimus, atque ab omni labe purissimus, consentaneum erit, vt odio summo à nobis habeantur, & ad nihilum redigantur, quicunque ijs aduersantur, ac proinde in primis impij, cæteriq; magis, aut minus impijs viciniores, quod si hoc agamus, quomodo constabunt inter se beneficentia, & beneuolentia quæ ab amore, quo in Deum ferimur, procedunt, & mala alijs velle moliri, ac perficere, repugnant hæc inter se se, ac pauciſſimi sunt, qui non in multa, ac sæpe etiam magna cęciderunt errata, aliquo vitæ suo rempore: recte distingui solet ergo, amandam naturam, scelus esse exterminãdum, quod nil aliud est, nisi vt homines quantum fieri potest saluos velimus ac tueamur, vt per nos viuant, operam tamen omnem demus, vt abijciant ipsi vitia, quibus irretiti tenentur, ac virtutes induant inserantq; animo penitus, & ad opera efficienda producant.

Cum vero hoc principum regumq; munus esse nemo ignoret, aliorumque magistratuum, quisque

operi

operi ſuo finem exoptatum addidiſſe haud pernegabit, pro quo ipſi ſempiterna laude, & immortali gloria donẽtur. Eſt vero princeps pater publicus & communis, aliorumq; cauſa omnis illi cõmendata eſt, idcirco & vera principis gloria, populi ſalus eſt, ſi eam procuret tueatur & conſeruet, quod vt plerunque contingit ſic quod ſe princeps talem gerat, vt vnicus ſit ei finis ſalus & cura populi, hoc ex vera gloria & virtute propria principis procedit.

At vero ſi ſereniſſimus Archidux Carolus ſe pro communi patriæ parente, ac publico principe geſſerit, vtique tanquam pater & Princeps vti debuit clementia & manſuetudine, neque quidquam ei magis conueniebat, magisq; glorioſum accedere poterat, ipſa clementia & manſuetudine vti in ſubditos, & amare rempub. ſuam in tantum, quod nihil ſibi ſupereſſe videbatur, quã optimi Principis officium requirebat: Erat in Deum pius, & in religionem deuotus, in ſubditos benignus, in pauperes liberalis, in omnes æquus, ſicq; rem ſuam hic in terris exegit, vt ibi incępiſſe in cęlorum ſedibus crederetur, & hic finis ſibi conſtitutus fuit, vt hic non prius deſiſteret, donec ibi inchoaret, inchoandoq; perpetua frueretur fęlicitate.

Præclara iſthæc eſt operatio, cuius merces ſempiterna eſt, mercesq; glorioſa cuius ſempiterna eſt æſtimatio: tantoque Deo immortali nunc coniunctus manet, quanto à charitate illius hic in terris ſe minime diuelli paſſus eſt.

Hoc eſt indiſſolubile illud pactum quod Deus innuit cum ſubditis ſuis naturaliter, & iure cũ creaturis ſuis corroborando placita, & promiſſa ſua, quod quæ procedunt de labijs ſuis non fiant irrita,

„ Exod. 19. Si audieritis vocem meam, & cuſtodie-

ritis

„ ritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cun
„ ctis populis, mea est enim omnis terra, & vos eritis
„ mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta, respon-
„ ditq; omnis populus, cuncta quæ locutus est Do-
„ minus faciemus: estque in fœdere subiectionis cau-
tum, si dimiseritis Dominum, & seruientis Dijs alie
nis, conuertet se, & affliget vos, atque subuertet,
post quam vobis præstiterit bona. Deus vtique pa-
cta sua custodit, neque illorum obliuiscitur, cum eo
coniungens misericordiam, vt fœlicius præstare pos
sit homo, ea ad quæ exequenda naturaliter, nihilo-
minus sine vlla pactione iure naturæ obligatus est,
& diuino. Vnde magis timendum quod expresse &
in specie iuratur & promittitur, sicque interrogan-
do & respondendo solenni stipulatione inter Deũ,
& homines firmatum est, quam ad quod communi
naturæ ordine tenemur.

Atque hoc mihi inter cætera cum Sereniſſima domo Austriaca initum fœdus videtur, cuius à primo ortus sui origine, præclara fata contigere, singularique ad illud prosequendum Dei pactum in RODVLPHO primo, tunc comite Hasburgensi promissione corroboratum fuit, & ad prnm vsque tempus in eodem firmiter permanet. Videre est ex omnibus temporum nostrorum annalibus quãta cum sinceritate Principes, & Imperatores Austriaci à primo suo ingressu domum Dei, religionem catholicam, fidemq; illam auitam non solum coluerunt, sed etiam longè lateque per vniuersum orbem propagauerunt. Videre est quanta animi cum virtute, collectoque in immensum militem omnes machinationes diabolicasque hæresum fraudes populsare, hostemque eius fidei catholicæ & christianæ reipub. eliminari conati sunt. Vnde & ipsi austriaci præ omnibus alijs regibus & principibus nomen illu-

ſtre & nunquam inter morituros obtinuerunt CATHOLICVM. Quod illi ſoli PRINCIPES CATHOLICI & REGES dicantur, ſi quidem Sereniſſimis Hiſpaniarū Rex PHILIPPVS TERTIVS REX CATHOLICVS dicitur & eſt: quorum opera & auxilio, virtute ſingulari, & incredibili humilitate factum eſt, vt totius chriſtianæ reipub. fideique conſeruatio penes eoſdem ſummis nitatur viribus, exindeque quaſi irriguis ex fontibus in alias omnes orbis partes promanet. Quod nulli mirum videri debet, ſic enim Chriſtus ſua præſentia nobiſcum ſe permanſurum obtulit: quod nunquam prævalituræ ſint portæ infernales: demõſtratur hoc enigmaticè, quando in veteri lege Deus Sabbaoth per Heliam Thesbyten omnes Baal prophetas conuocare iuſſit, fideiq; illorum vanitatis conuictos, miſſo de cœlis igne combuſsit, ex quo ſibi plurimum extimuit Helias, quando Achab in occurſum illius veniens ait, Tu ne es qui conturbas Iſrael? 3. Reg. c. 18. Vnde relicta Samaria in montem Oreb ad ſpeluncam ſe abdidit, quo bis euocato per Angelum, ſemper clamauit zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerũt pactum ſuum filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, & propheras tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferãt eam. Et ait Dominus ad eum, vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum, cumque perueneris illuc vnges Aſahel Regem ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges Regem ſuper Iſrael. Eliſeum autem filium Saphat, qui eſt de Abelmehala vnges propheram pro te (& poſt pauca) derelinquã mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal 3. Reg. c. 19. & ad Rom. 11. cap.

Sin-

Singulari Dei prouidentia hanc eãdem domum Auſtriacam pro zelo domus ſuæ, & euerſionẽ prophetarum Baal, Deus euocare voluit, longe lateq; dilatare; vt quæ reliquiæ eſſent ad huc veteris religionis, ad occaſum & occidentem, ipſa in horreum quaſi recolligeret, emiſſoque deſuper virtutis ſuæ & pietatis imbre, reuiuiſceret, in altamque educeret progeniem, nec ſolum ſeptem millia ſub ditione auſtriaca reguntur, neque ſepties ſeptena, neque ſeptuagies ſepties ſeptena milia, ſed præcipua totius chriſtiani orbis machina eidem paret, ſanctèque ac religioſe ab eadem adminiſtratur.

Hinc ab omnibus Auſtriæ principibus per deſcendẽtem lineam fortiſsimos Heroes enumerare ex ordine potes quorum quilibet ſuos proprios in alios ramos protendit, altiſsimasque radices vſque agit, quod nunquam ab eadem ſtirpe nomen Domini deſolabitur. Non libuit autem hoc loco ſingulorũ genealogias aſcribere, longum enim foret, ad hoc manifeſtum eſt omnibus, Sereniſsimi Archiducis Caroli, & coniugis ipſius Sereniſsimæ Annæ Mariæ progenies Illuſtriſsima, vt omnibus exinde pateat quam Deus mirabili ſua benedictione fœcundet domum Auſtriacam, eorumque principum timentes Deum in longas producat nomen generationes.

Fuit Carolus ille Archidux quondam princeps religioſiſsimus ſimul & pientiſsimus, fidei religioniſq; chriſtianæ propagator ſolertiſsimus, ſtemma ſuum ducens ex parente inuictiſsimo Romanorum Imperatore FERDINANDO ſecundo cuius etiã ſumma extitit in rempub. cura amorque ſingularis, id ipſum rerum & negotiorum moles, aliaque præſtantiſſima facta, ab illoq; geſta teſtantur eiuſdemq;

egregiam indolem fortissimumq; pro salute totius imperij christiani animum, testatur CAROLVS ARCHIDVX AVSTRIAE cuius mors nobis omnibus amarissima intempestaque orta est, testantur id quoque de Carolo omnes vtriusque status ordines, prouintiæq; post ipsum superstites, quas cum tanta sollicitudine rexit, subiectosq; sibi populos, vt omnia, & omnes quasi quæ sua essent curauerit. Erat in ipso præ alijs excelsa animi virtus & constantia, tantæque tranquillitatis imago, vt vultum nunquam mutauerit mærore vel gaudio, moderatissimus in hominibus deterrendis à malo, inuitandis ad bona, remunerandis copia indulgentia liberandis, fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos, cum igitur in amore omnium imperasset & ab omnibus suis proceribus, modo pater, modo patronus, modo pater patriæ, modo frater, modo filius, vt cuinsque ætas ferebat, diceretur & amaretur, decimo mensis Iulij anno nonagesimo vltimum vitæ suæ diem in metropoli sua Grecensi feliciter clausit.

Hinc singultus isthinc lachrymas, ibi clamores, alibi crinium euulsiones, vndique tristissimam luctuosissimamq; faciem videres. Quid non charissima coniux nouo adhuc prægrauata Archiduce? Quid innocentissimi heroes filij Archiducis? Quid castissimæ Heroinæ Archiduciſſæ? nouellæ oliuarum, quasi in circuitu emortuum deplangunt parentem, scio quãtus tunc inuasit Illustrissimos prouinciales proceresque omnium statuum, rerum factorumq; timor, qualisque animos ipsorum cogitatio subijt Eheu heu Carolum Archiducem nostrũ verè patrem patriæ amisimus, coronam capitis & filiorum nostrorum nutritum, perdidimus, victoriam de inimicis non habemus. An non isthæc subita

bita mutatio tamque optimi principis iactura, ſummam in repub. pareret confuſionem? vbi enim non eſt ordo ibi maxima confuſio, at ordinem tenuit Carolus, tam in fide, quam in finibus, domi foriſq; cuncta inſigni prudentia & præmaturo conſilio inſtruxit, illo vero ſublato emortuoque iacent omnia vel iacebunt.

Actum iam putares de prouintijs, de fide, deque finibus Carolinis, ſic enim præſagit quandoque incerta mens hominum mala, vt fidem ſubigeret hæreticus, turca prouincias, terra caperet emortuum Carolum.

Hæc aliaq; longè proſpiciēs FERDINANDVS tacitoq; ſecum pectore obuerſans, non dum à Deo cum patre, totaq; inclytiſſima domo Auſtriaca initum fœdus diſruptum putauit, ſed inditium ſibi factum notiſſimumque argumentum præſtitum, quo inſitas ſibi virtutes, pietatem, religionē, aliorumq; honeſtarum diſciplinarum tunc in præclariſſima Ingolſtadienſium vniuerſitate, cum & doctiſſimorū, & religioſiſſimorū ſocietatis Iheſu patrum frequenti conuerſatione addidicitam ſcientiam, exprometeret, patrisq; ſui veſtigijs inſiſteret, ac prouincias relictas vna cum dilectiſſima matre ſua, fratribus ac ſororibus in fidem reciperet. Hunc ſibi ſucceſſorem paternorum iurium reliquit Carolus SERENISSIMVS, teſtamentoque ſuo confirmauit FERDINANDVM, ſuarum virtutum heroiciq; pectoris æmulum, qui eadem coſtantia, ſapientia, prudentiaq; alijs ſuperior ætateq; grandior, viam Domini in virtute pararet, eaque quæ ob immaturam mortem patris reſidua erant, ipſe ſuppleret, corrigendo, emendandoq;, atque in priſtinum ſtatum floremq; perduceret.

Me-

Meminisse licebit superiorum regum, & principum qui iuuenili ætate præclarè res suas rexerant, quibus inter alios adiungi potest Athalaricus Rex tantum octo annorum cum successisset regno Gothorum, quod is rexit sub gubernatione Amalatiunthæ matris suæ: sic forte dices instituisse FERDINANDVM nostrum prouincias populumque sibi subditum consilio & authoritate matris suæ ANNAE MARIAE?

Vtilissimum sane quandoq; mulierum consilium fuisse gubernationi reipub. exempla plurimarum fidem faciunt. Nero namque initio sui principatus, & imperij matri Agrippinæ summam rerum publicarum, & priuatarum permisit. Primo etiam imperij die signum excubanti tribuno dedit, optimam matrem. Sueton. in Nerone Claudio cap. 9. quantum profuerit ad victoriam admonitio Deboræ constat c. 4. Iud. quam felix factum & consilium Hester, ad salutem eiusdem populi, de quo omnino desperatum erat, propter insidias Amon, patet ex cap. 6. Hester. validum & admirādum fœminæ pectus Iudith, laudatur sapientia consilij Abigailis quo liberauit maritum 1. Reg. 25. Scribit Arianus lib. 1. de gestis Alex. in Asia receptum fuisse à Semiramidis tempore, vt & vxores regum post mortem illorum regerent & hoc fere in omnium regnorum consensu receptum est, in quibus principatus ex successione, probata lege primum, vel expresso, vel tacito diutino cōsensu, ad proximos defertur, vt fœminæ etiam succedant in illis, potissimum deficientibus masculis, vt in Scotia, Anglia, Hispania, America. Vnde Zenobia Odenati Regis vxor, vt refert Iulius Capitolinus in Galienis, occiso marito, & cum paruuli filij eius essent, ipsa suscepit imperium, diuq; rexit

non

non muliebriter, neque femineo more, ſed non ſolum Galieno, qui erat Imperator melius imperare potuiſſet, verum etiam multis Imperatoribus fortius atque ſolertius.

Iuſtinianus profitetur ſe conſulium in lege condenda ſumpſiſſe à Reuerendiſſima coniuge ſua, nouella 8. cap. 1. §. hæc omnia, vt iudices ſine quoquo ſuffragio. Vnde mirum videre non debet, ſi dicta Principiſſa Archiduciſſa vidua Caroli felicis recordationis, filio ſuo FERDINANDO adiumento fuerit, ad bene feliciterq; gubernandum, ipſumq; aliquando præierit dictis factis, & verbis: ipſa namque edocta viri ſui prudentiſſimi Caroli Archiducis exquiſito conſilio, quem imitata fuit ſemper, non ſecus atque olim Regina Saba, ad audiendam Salamonis ſapientiam 3. Reg. 10. & 11. ſic ipſe quoque tunc inſtituit ſuum FERDINANDVM, commouitq; ad fortiter pro fidei & religionis integritate conſeruanda, aliaque inimica, quæ ſparſim in partibus longe diſsitis iacent, eliminanda, intrepidum eſſe, Deumq; ſibi protectorem futurum ſperare. Vnde illud eidem æque conuenire poteſt, quod legi-
„ tur in parab. Salom. 31. mulierem fortem quis inue-
„ niet procul & de vltimis finibus pretium eius, con-
„ fidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit? Dicerem fortaſſe & illud, quod Debora, ſine cuius conſilio iuſſuq; nouit mouere exercitum Barath filius Abinos, cõtra Siſaram Principem exercitus Iabin, Iud. 4. conſilio & præcellenti animo Iſraelem liberauit de manu Iabin Regis Chananæorum, eratque ob id Deo grata, & prophetiſſa, & iudicauit populum in illo tempore. Adijcerẽ quantas eadem hactenus poſt principis ſui Archiducis mortem, remotiſſimas orbis partes inuiſerit, laboresq; duriſsimos

pro

pro salute charorum filiorum superarit, nec matia refugerit, nec asperrimos Transiluaniæ colles, inuia præruptaq; Poloniæ itinera exhorruerit, quin reuocato gradu, eadem iterum pro anniuersario Reginæ Sereniſsimæ Poloniæ ANNAE filiæ suæ longe dulciſsimæ adijt: Posthæc filiæ suæ Margarithæ alteri Reginę Hiſpaniarum vices reddidit iſtincque ex metropoli Grœcenſi in Styria Ferrariam Italię vrbem fortiſsimam, exinde turbulentiſsimum maris impetum traijciendo, Genuam appulit, dehinc vſque Hiſpanias peruenit, ad inſtar fortiſsimæ fagaciſsimæq; Leœnæ catulos suos vbique terrarum insecuta; tandem laborum neſcia chariſsimi filij sui FERDINANDI fortunam conſortemq; meditatur, vbi deinceps ex ipſo alijs dulciſsimis suis pignoribus longæuam proſpectura eſt progeniem. Ecquis vero tam inſolita tamque ſtupenda in fragili ſexu muliebri non admirabitur? laudent alij Theano Metapõtinam filiam Leophronis Philoſopham eximiam, Corinnam Archedolori & Procatiæ filiam Poetam, Aſpaſiam mulierem doctrinæ fama atque in ſtudijs Phyſicis claram, Alij Leontij Philoſophi Athenienſis filiam, nomine Aethenais, apprime in omnibus diſciplinis, & Philoſophia omni actiua & contemplatiua, item Mathematicis, Geometria, Arithmetica, Aſtrologia, & alijs eruditam aliaſque viduas quæ Galieni Imperatoris temporibus Plotini Philoſophi ſcholas frequentare ſolebãt, vt ſcribit Atheneus lib. 13. & l. Qui filium hæredem. ff. vbi pupillus educari debeat, vt meminit Iulianus Iuriſconſ. Nos Archiduciſſam Auſtriæ viduã ANNAM MARIAM reliquis omnibus merito anteponendam ducimus, quippe quod illæ omni terrenarum rerum ſtudio & vana loquacitate exercitatæ

citatæ fuerint, hæc vero in ſolida chriſtianorum Philoſophia tam actiua quam contemplatiua magiſtra effecta eſt, neque ſolum filum aut acum tractare didicit, ſed aliàs bonas, & honeſtas diſciplinas edocta eſt, multisq; aſſuefacta, quo ingenio prudentia pluribus viris antecellere poſſit. Quare & ipſa poteſt conſulere reipub. & rei domeſticæ & laboribus ingenij corporiſq; cuius ratio eſſe poteſt, quod ipſa reſpub. vel principatus nō tam corpore quam mente regatur & prudentia conſilioque.

Tali progenitrice natus FERDINANDVS talique parente quondam vtriuſque Beucariæ Rhenique Ducis Alberti filia, genere & proſapia clariſſima, talibus inquam ſtipatus progenitoribus FERDINANDVS, tanta animi bonitate donatus, virtutum omnium floribus circumdatus, diſciplinis liberalibus ſcientijſque præclaris eruditus, ſuprema denique Dei optimi maximi gratia illuſtratus, quid ſibi amplius ad rempub. gerendam deeſſe poterit? quid cunctabitur? aut operietur alium dicentē ſibi? Verum eget (inquies) Princeps bonorum conſilio, & legum auxilio, & diligentiſſimis expertiſq; viris, qui bene conſultata exequātur, aliter imperfectum erit perpetuò regni, & principatus legitimum negotium, at non deſunt huic vtriuſque generis monitores & conſultores, tam viui quam mortui, viuos dixerim illos, qui experti regimen fuerunt, & qui experientia & prudentia viri iam comperta habent quæ vtilia ſunt, quæve contraria ſaluti reipub. & hæc faciūt optimi Principis conſiliarij, quales olim habuit Moyſes num. 11. & Iethro eidem aliquando perſuaſit, Exo. 18. Mortui erunt ſi peritorum, & bonorum authorum in hac arte legantur monumenta, quibus omnibus ſe accommodari poterit prin-

ceps & audire oportune, qua sibi ingrediendum sit, & quam aspera & difficilis, vel quam facilis sit & peruia principis gubernatio, considerando secum semperque ruminando consilium illud prudentis, vt ait Vegetius lib. 3. fieri quid debeat cum multis tracta, quid facturus sis cum pauciſſimis, vel potius ipse tecum: nulla enim sunt meliora cõsilia, quam quæ ignorauerit aduersarius, antequam fierent.

Optimo omnium iuditio vsus consilio Ferdinandus quando suam in primis Deo, illiusq; hic in terris Christi filij vnigeniti sui vicemgerentis Vicario, Sanctiſſimo Domino nostro Domino Clementi VIII. Papæ, & pietatem reuerentiamq; pariter & obedientiam exhibuit, fidemq; & sinceritatem erga eandem sanctam sedem apostolicam demonstrauit, eidemque se, & suas prouincias quam potuit, & debuit obnixè comendauit, probe sciens à Deo principium boni regiminis atque optimi principis gubernium expetendum, nec ipsum spes fefellit sic adeuntem summũ Pontificem, supremumq; Hierarcham, quin clementer ab eodem exceptus, paternoq; affectu complexus, vtque pater filium consolatus est: quibus ex sententia rebus perfectis, sanctam benedictionem accipiens, ab hinc sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli limina visitando, Romam vsque perrexit, vbi pluribus ex sacratiſſimo Cardinalium Senatu præsulibus fausto illi, feliciaq; acclamantibus summa & penè singulari in Ferdinandum vsi sunt beneuolentia & humanitate, omnibusq; ex ordine ipsum visitantibus singuli sua sibi obtulerunt offitia, mutuamq; in Deo sinceramq; charitatem: ipsius vicissim admirantibus raram animi prudẽtiam, morum comitatem, loquendi promptitudinem, atque quod Cardo Principis

est

eſt in rebus agendis peculiarem dexteritatem: cuius rei poſtea maior increbuit fama celebriorq; diuulgari cępit per totam Romanam curiam, quando is FERDINANDVS in ſua metropoli Grecenſi fabuloſæ illius (vtar verbis D. Epiphanij de hæreſ. lib. 1. hæreſi 30.) multiplicitis hydræ ſerpentariam formam expellere, nouaſque de fide & religione leges per cunctas prouincias ſuas condere cœpit, hominibus nihil tale expectantibus, neque tale quippiam FERDINANDVM nouum Principem moliturum opinantibus.

Sane vti res iſta fuit noua, ita multum periculoſa, magiſque iſtis nouis hominibus exitioſa.

Hoc ſummum maximumque eſt tibi FERDINANDAE Sereniſſime in Romana Curia elogiū, triumphus potentiſsimus, nomenque perpetuo victurum:

Cura tibi Diuum effigies, ac templa tueri,
I, perge, aggredere, votaque fata ſinunt.

Quid ergo moror vetuſtiora prædeceſſorum acta geſtaque præclara recenſere? Vnius FERDINANDI memoria fęlicia nobis tēpora repręſentat, princeps optimus natus eſt, atque à natura datus, qui rempub. chriſtianam, & ſchiſmatum & bellorum turbinibus afflictam recreet, conſtituat atque gubernet. Cuius in animo præclariſsimæ dotes omnes munia ſua obeunt, atque offitia ſua non deſerunt, adeo certe, vt etſi non eſſet ex heroibus illis oriundus, in quibus ſemper gloria ſincera, honoris ſplendor, decus verum enituit: animus tamen ſuus pulcherrima virtutum maximarū cohorte circumſeptus, omnia illuſtria excelſa, quæ ad communem vtilitatem ſpectant, iure ſuo ſibi vendicare & præſtare deberet.

Si enim de continentia vitæque castimonia & victus moderatione dicendum est, siquidem principem esse nouit, sed non ea ratione præpositum, vt reipub. bonis abutatur, sed vt modesto vsu contentus, cætera subditis integra conseruet; neque Principem alio ventre, aut corpore præditum quam hominis, & proinde posse si velit, ijsdem quibus cæteri homines contentum esse, viuere, vestiri, & mori? quæ omnia communia sunt omnibus, vt reliqua humana. Hæc vero ordinarie sunt obseruanda, præter illa vero sunt quandoque principibus abundantiora, & splendidiora conuiuia pro maiestate sua significanda necessaria, tempori siquidem noua rerum occasio, multa permittit quę in consuetudinem trahi non debent à principibus.

Nicephorus Calixtus loquens de Maximino Imperatore Orientis, & eius ingluuie: vino autem multo inquit deditus fuit, ad summam contumeliam, petulantiam, & crudelitatem, quæ ex ebrietate proueniunt, nihil fecit reliqui, lib. 7. eccleſiast. hist. cap. 21. Narrat Q. Curtius quantum nocuerit Alexandro ebrietas, quotque fecerit homicidia, quorum valde pęnituit: in sobrietate laudatur frugalitas Thiberij Cæsaris, qui vt parsimoniam publicam suo exemplo iuuaret, sollemnibus etiam cęnis pridiana sæpe, ac semesa apposuit, dimidiatumq; Aprum, dicit Suetonius in eius vita c. 34. & si nimia horum parsimonia fuit, imitanda erit Marci Antonij pij vita, cuius virtus talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus, & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, & piscatores & venatores instrueretur. Sic continentia Alexandri Magni laudatur à Q. Curtio de gestis Alex. erga vxorem Darij, & regias virgines, quas ita sancte habuit,

buit, vt ſi ab eodem parente fuiſſent genitæ, quod & beneuolentiam illarum & regis in fuga exiſtentis, promeruit. Cyrus Perſarum Rex Pantheam omnium mulierum formoſiſsimam captiuam, in conſpectum ſuum adduci vetuit, tantum opprobrium Principi eſt, videre eum Veneri prohibitæ vacare, qui exemplo cæteris eſſe debet obſeruationis mandatorum Dei, quorum vno prohiberur mechia: nec ſordius quidquam, quam ſuam maieſtatem ad vile ſcortum deijcere, cum poſsit honeſto matrimonio coniungi, nec deteſtabilius vllum, quam Principē cuſtodem, & patrem ſubditorum, contrario actu ſuorum ſubditorum ſtupris, adulterijs honorem peſſundare. Vnde ſi Dei vindictam effugere velit, hæc ipſe ſolum non faciet, ſed nec in aula ſua fieri patietur, omneſque occaſiones, & reliqua cunctaque eo animam impellere poſſunt, præſcindet, mimos, hiſtriones, Choreas, aliaque pręludia ad luxuriam prę cauēdo. Si vero de ſuperbia quod vitium affine eſt, ſcilicet guloſitati, loquamur, hæc principibus, non minus conuenit, quam nimia deiectio, quæ quidem ex ſatietate panis, & victus abundantia originem accipit, vt teſtatur Ezechiel c. 16. vbi Sodoma cum tota repub. abſumpta eſt. Multa pericula vitabit princeps, ſi vires ſuas agnoſcat, ne ſupra id, quod eſt; ſe extollat, neve plura quam poſſit, exequi præſumat, neque alios contemnat: eſt enim ſuperbia appetitus excellentiæ inordinatus, qui prouenit ex eo, quod aliquis ex voluntate tendit ſupra id, quod eſt, qui enim vult ſupergredi id quod eſt, ſuperbus dicitur.

Recordari expedit eius quod monet S. Chryſoſt. tom. 1. hom. 31. ſi quis (inquit) innumerabilia bona fecerit, virtutem omnem abſoluerit, ſi tamen quid

de

de se magnum sentit, maximus omnium miserabilis est, & miser, & post pauca, adducit Pharisæum & publicanum ex tex. diui Lucæ 18. & Paul 1. Cor. 4. Sic nos Nabucdonosorum, & Pharaonem, quorum alter fœnum vt bos comedit, alter vero aquis inuolutus sero didicit, quid sit superbia. Dan. 5. Exod. 5. & 14. Illudque exinde sequitur quod valde animi subditorum alienentur ab eorum amore & obedientia, & hoc tamen est vitium commune imperantibus & nihilominus debēt curare, qui diu, & securè voluerint imperare, estque maxime difficile, vt dicebat Marcus Imperator (Herodianus in primo) apud Herodianum, in maxima licentia sibi moderari, quasiq; frena imponere cupiditatibus, potissimum quando res succedunt ex animi sentētia, & ridente fortuna.

Quid inquit D. Chrysost. hom. 24. in Matht. tom. 2. arrogas homo, quod sublimi curru veheris, quod te trahit mularum iugum, æquale illud est, nam & sæua plerumque, & lignum gestant. sed speciosa veste circumdaris, sed respice, pro cultu vestium, virtutum decore fulgentem, & videbis iam te freno putrefacto similem. Illum autem arbori admirabiles fructus ferenti, maximam præbenti cernentibus voluptatem; tu quidem circumfers pectum vermiū atque tinearum, quæ cum tibi incubuerunt celeriter huiusmodi ornatu nudum relinquent, qui stolam habet virtutum non potest illa priuari, nec illa corrumpitur, nec tinea, nec vermibus, nec morte ipsa.

Fertur de prudentissimo Carolo V. Imperatore Austriaco in funebri eius oratione Sueuica, eum anno quinto ante mortis periodum, inter maxima regni negotia sarcophagum sibi astrui curasse, cum

omni

omni ſupellectili, quæ mortuo ad ſepelliendum neceſſaria ſunt, idq; clanculum, ne ad hominum oſtentationem, aut ſimulatam religionem factum videretur, quem apparatum habuit apud ſe, quinque annis, vbicumq; terrarū eſſet ſecretiſsimè, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficiſceretur, eumq; diligentiſsimè ſingulis noctibus ſemper conſeruauit, ac reponi iuxta ſe iuſsit, ſic ſibi ſemper ſepulchrum adeſſe voluit, vt perpetua mortis recordatio eximeret à corde vanum huius mundi faſtum, fluxamq; ſuperbiam.

Huiuſmodi humilitatis virtus adeo innata eſt. FERDINANDO, vt ipſam cum omni grauitate cęteriſq; virtutibus conuinctiſſimam inuenies, non
„ enim ingreditur Spiritus Domini (dicit propheta)
„ in animam ſuperbientem, ſed humilem & timen-
„ tem ad ſermones meos. maximum hoc eſt orna-
„ mentum Auſtriacorum Principum præcipuumq; totius maieſtatis fundamentum, vt enim quis ædificium ſplendidius magiſq; amplum extruere cogitat, tanto profundius fundamentum (ait) vt ea quæ ſuperſtruenda ſunt firmius perſiſtant. Sic diuina illa comitante virtute, ipſi à Deo regnum perceperunt & in ſinceritate perfecta cordiſq; ſimplicitate direxerunt, penſantes rerum humanarum circulum eſſe, qui rotatus ſemper eoſdem fortunatos eſſe non finit, diuinaq; inſcrutabilia iuditia, inueſtigabileſq; viæ eius, vt fęlicitas illa terreſtris & momentanea, à Deo quandoque concedatur, ob bona quædam peracta, & ſic recipiatur remuneratio in hoc mundo, ibique vita priuentur æterna, aut pro grauioribus malis, ibi pœnas æternas, quod Ibycus Ethnicus maxime timebat, vt refert Plato in Phædro, & vt refert Plutarcus in lib. *συμποσιάκων λόγω*, d. dicebat.

bat. Δέδοικα μὴ τι παρὰ θεοῖς ἁμπλακὼν τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείνατο, ideſt timeo ne aliquo in Deum admiſſo delicto honorem ab hominibus per permutationem accipiam. & forſam hæc præclara reſponſio admonere potuit Philippum Macedoniæ regem ne felicitate nimia efferretur, vnde ille id munus deſtinauit vni ex pueris ſuis aulcis, vt ſummo mane cubiculum ingreſſus pronuntiaret, ἄνθρωτον τὶ φίλιππε. Homo es ò Philippe.

Dum vero humilis vult eſſe princeps, videat, ne nimia inde ſibi fiat deſpectio, cum regendi ipſius exinde ſæpe frangatur authoritas, ſolet enim ex nimia humilitate, vel neglectus dignitatis & principi & ſubditis officere, conſilio ergo vtendum eſt Vlpiani, in l. nec quicquam, circa aduocatos. ff. de offi. procur. vbi docet pro conſulem oportere eſſe patientem circa aduocatos, ſed cum ingenio, ne contemptibilis videatur.

Optimè mihi ad hanc rem principi ſequenda videtur ſententia Iulij Cæſaris celeberrimi Imperatoris, quam ad milites ſuos aliquando tumultuantes dixiſſe refert Dio. Caſſius lib. 41. Ego, inquit, ſacræ neque aliàs rectum eſſe arbitror, vt qui principatum gerit, ſubditis ſit inferior, nèque ſalutare quicquam agi poſſe cenſeo, vbi hi quibus iniunctũ eſt, vt dicto ſint audientes. imperare ipſi velint. Intelligitis enim quàm ſit probè futura ornata illa domus, in qua natu minoribus ætate grandiores deſpectui ſunt, aut ludus literarius, vbi diſcipuli magiſtros contemnunt. Quæ verò ſpes ſanitatis ægrotis, ſi non per omnia medicis obtemperent quàm tuta nauigatio, ſi nautæ gubernatoris iuſſa non pareant? Ita natura duas neceſſarias res, eaſque ſalutares comparauit in humano genere, at alij cum im-

perio

perio eſſent, alij ſubijcerentur, nihilque eſt, quod abſque his ſit, vel minimo quidem ſpatio perdurare queat.

„ His adſtipulari videtur ſapiens Prouerb. c. 5. Ne
„ des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli,
„ ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labo-
„ res tui ſint in domo aliena. Quare Eccleſ. hoc prin-
„ cipis factum errori tribuit cap. 10. Eſt malum, in-
„ quit, quod vidi ſub cœlo quaſi per errorem egre-
„ diens à facie principis, poſitum ſtultum in dignita-
„ te ſublimi, & diuites ſedere deorſum. Vidi ſeruos
„ in equis, & principes ambulantes ſuper terram
„ quaſi ſeruos.

Vnde ſicut vtrumque vitio datur principi, ſuperbia ſcilicet, & nimia animi abiectio, qua ſe omnibus ſubſternere & ſupponere vult, quod indignum eſt principatu, & rebellandi exinde ſubditis, in alteriuſque tranſeundi dominationem occaſio ſubminiſtratur.

Quid de clementia & benignitate plura opus referre erit? Signum hoc eſſe certiſſimum, de infelici ſtatu reipub. omnes atteſtantur, quãdo populus aduerſus principem inſurgat, vel ſuum rectorem contemnat, non ſecus ac ſi ſubditi inter ſe factionibus & diſcordijs ſibi aduerſantur. Concordia enim res paruæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. At verò Carolum Archiducem quis vnquàm ex ſubditis odio habuit aut cõtempſit, nec ij quidem, quorum in malefacta vt debuit, iuſtiſſimè animaduertit, quicquam ſibi iniquè precati ſunt, tantumque abeſt, vt ſibi exoſos habuerit, vt omnes ſibi amiciſſimos chariſſimosq; clementia ſua deuinxerit. Vnde rectè dicere poterat, illud Athalarici Regis apud Caſſiodor. lib. 9. c. 18. & noſtra verè pietas cuſtodie-

batur, dum feriato gladio nascebatur metus, & proueniebat sine cruore correctio, commoti enim sumus placiti, minati sumus otiosi & clementer, irati sumus, quando sola vitia damnauimus, cura & anxietas magna fuit, videre subditos vitijs scatentes, felicitas verò nostra, habere morigeros & amatores eorum, quæ expediunt. Sic labor cogitatione auferebatur regnanti, dum subditi sibi profutura disponebant, vt dicebat Theodoricus Rex ibid. lib. 3. c. 49. Hæc pietas fuit CAROLI, hic animus, hoc studium, cura, perpetuaque solicitudo.

Nec aliud filio suo FERDINANDO reliquisse putandum est, sic enim gloria ingens moriẽtis principis exposcit, aiebat Vopiscus in Tacito, quod rem pub. magis amet quàm filios; vtique securus de filio, minus verò de pace & salute, quæ ex filio in rem pub. defluere debet, ideoque magis curam habuit de populo sibi commisso. Vnde quod olim ad Alexand. Magnum dictum fuit, vt est apud Aelianum lib. 14. var. hist. idipsum Carolus ad FERDINANDVM memorabile dictum dixisse potuit: ad gloriam (inquit) incumbe, verùm ea conditione; ne sis pestis vel magnus aliquis morbus, sed pax & sanitas, affirmans per vim & sæuitiam expugnare ciuitates & populos exscindere, pestilentiam esse; sanitatis verò salutisque subditorum rationem habere, esse pacis commoda.

Simile quid Marcus prudens Imperator iam moriturus, commendaturusque filium suum populo, dixit, vt ait Herodianus in 1. neque aut pecuniæ vis tyrannidis luxuria explere, aut stipantia satellitum agmina tueri principem possunt, nisi illi ipsi quos regas, animum imperanti beneuolentiamq; accommodent. Quippè ij diu demum tutoq; imperant,

qui

qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate ciuium ſuorum animis inſtillant, neque verò quos ſeruire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare ſua quemque voluntas adegit, ij ſunt in agendo patiendoque à ſuſpicione omni aſſentationeq; vacui, nunquam imperia detrectant, niſi violenter contumelioſeque ſint habiti.

Magnum ſibi FERDINANDVS ſuffragium apud proceres populumq; omnem adiunxit, quando poſt mortem patris ſui Caroli in Imperio principatuq; ſuccedens, hanc modeſtiam & bonitatem animo præſeferebat, neque aliud nobis (inquit, dũ inauguraretur) decretum eſt, quàm pro authoritate noſtra id agere, quod vobis ac toti reipub. Chriſtianæ ſalutare, nobiſque bonum & rectum videbitur, voſque conſiliarios habere reipub. gerendæ; Viuetiſque pro arbitrio in libertate illa, quam vobis antea à patritijs Imperatoribus ereptam, Carolus pater meus reſtituere conatus eſt; neque immeritò, regum enim & principum eſt ſubditis volentibus imperare, Tyrannorum inuitis dominaris regibus & principibus lex duodecim tabularum rectè conuenit: Salus populi ſuprema lex eſto, quam ſi exequantur, fieri non poteſt, vt non viciſſim à populo diligantur, quia natura humana prona eſt ad remunerandum, & gratiæ ita ſe manibus coniungunt, vt vna gratia aliam pariat. Stultum autem eſt credere, principem diligi à populo, ſi ipſe eum non amet & publica negotia.

Inter preconia virtutis Traiani Cęſaris Dio. Caſſius plura recenſet, illud eum cupiuiſſe magis, à ciuibus ſuis amari, quam timore affici, & cum populo humaniter, cum Senatu honorificè verſatum eſſe.

Verùm in hac re magna opus eſt prudentia FER-

DINANDO Archiduci, ne dum nimia sibi erga suos vtendum putet bonitate & clementia, corruptelam quam ipse vocat libertatem maledicendi & calumniandi, impunitam habere permittat. Impossibile enim est, principem populo rectè administrare rempub. si ex arbitrio eorum illam velit regere; populus verò à Deo commissus est principi, regendus, non sequendus, neque vanæ populi voces audiendæ sunt, neque is quem elegerit populus, ideo probandus, aut quem reiecerit, reprobandus, vt fuit statutum in Concilio Sardiensi, quod refertur c. 2 de elect.

Detrahet princeps suæ authoritati & dignitati, si populi sui sentẽtiam iuxta postulata necessario admittat, neque principatus libertate fruitur, sed veluti democratiæ videtur obnoxius, nam olim spes illicitæ coactionis inualuit in populo, ad cuius clamorem manumissus fuit seruus proprius, cuius tamen inualidam manumissionem decreuit amplissimus ordo l. 3. C. qui manumit. non poss. & Paulus l. C. in l. si priuatus. ff. qui & à quib. manumis. lib. non. fi. ex constitutione Marci Imp. ibid. Solet enim plerunq; populus abuti clementia & bonitate nimia principis; ideò operepretium erit Principi FERDINANDO, hãc suam innatam animo bonitatem, patrisq; sui imitatam clementiam, paululum cum maiestate sua metuq; iusto, & obedientia attemperare, ne inde sua principis libertas, cum potestate temerè à sibi subditis confundatur, quare obseruandum sibi est, quod Calistratus l. C. respondit l. obseruandum est. ff. de off. præsid. Obseruandum, inquit, est ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur: vnde mandatis adijcitur; ne præsides prouinciarum in vlteriorem familiari-

liaritatem prouinciales ſuſcipiant, nam ex conuerſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur. Sed & in cognoſcendo neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putant, neque precibus calamitoſorum illachrimari oportet, id enim non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit: & ſummatim ita ius reddere debet, vt authoritatē dignitatis augeat. Eſt enim mirabile quippiam latens maieſtas & dignitas principis, quod reddit admirationē prętermaturam omnibus, quod nec admirantes, quid & quale illud eſt, notare poſſunt, ex quo honor ſingularis, reuerentiaq; maxima gignitur. Vnde Ouid. in Faſt. 5. ex honoris & reuerentiæ coniugio natam iſtam dicit maieſtatē, dum ait, Deos quondam exemiſſe à terris maieſtatem filios honoris & Reuerentiæ, ideoq; homines priuatos maieſtate, gigantum auxilium poſtea inuocaſſe, vt illam de cœlo detraherent.

Certè Dei hæc virtus eſt, & radius à vera Dei maieſtate inditus, ſeu angelus poteſtatis miniſter, vel aliud quippiam efficax, ſed incognitum, quod figura illa Moyſis reſplendentiaq; faciei illius, quæ ex colloquio Dei cornuta videbatur, manifeſte demōſtrat, quam ob gloriam & maieſtatem eius duræ populus ceruicis intueri non potuit, niſi poſtquam ipſis velauit faciem eius. Exod. c. 34. Sic cum Deus de ſpiritu Moyſis diſtribuit in ſeptuaginta illos ſenes, Num. 11. maieſtas apparuit, & inter populum iſti, tali maieſtate reſplendentes prophetæ & obſeruati fuerunt.

Quando Salomon vnctus eſt in regem, 3. Reg. 1. ſtatim Adoniæ factio à maieſtate regia ita deterrita fuit, vt deſiſtere à regno debuit, etiam viuo patre Dauid, Deus enim, cuius iſta principum poteſtas,

munus

munus & donum est, vt supra cap. 13. diximus. eandem vult reuereri, quemadmodum hominibus dando potestatem in animalia dixit Gen. 9. terror vester ac tremor sit supra cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli.

Porrò hanc principum regumque clementiam plurimum cohonestat non solum pœnarum relaxatio, sed & bonorum largitio in subditos, quæ aliàs dicitur liberalitas principis. Vt enim illa vitæ quandoque conformatio est: sic ista eiusdem prolongatio & sustentatio, quippe seipsos principes iuuant, dum alijs beneficia largiuntur faciẽtes sibi amicos, penes quos thesauros suos vel reipub. securius collocant, recepturi maiores thesauros, quam si ærario concluderent. Est sanè nullus fructus pecunijs reconditis, non plus quam Cræsus aut Mydas rex auri, qui proximus morti accepit auriculas asini, vt scribit Ouid. 11. Metamor. Quare rex Cyrus dicebat, opera regum & pastorum esse æquipollentiam, sicut enim ad pastorem pertinet curare vt pecora habeãt succulenta lætaq; pascua; ita principis est facere ciues opulentos; Imitanduſq; Cimon Athenienſium princeps, vt refert Probus in eius vita & Plutarch. similiter, qui tanta fuit liberalitate, vt cum pluribus in locis prædia hortosq; haberet, nunquam eis custodem imposuerit fructus seminãdi gratia, ne quis impediretur rebus eius quibus vellet, frueretur sem perq; eum pedissequi cum nummis sunt secuti, vt si quis opis eius indigeret, huic statim daret, ne differendo videretur negare.

An hæc liberalitas fuerit in Carolo, non tàm mei instituti ratio postulat dicere, quàm eorum, quorũ locupletes facti sunt & parentes & filij, & amici & nepotes, ipse enim non tam liberalis videri voluit,

quam

quam esse, neque tam liberalis, quam magnificus: distingui enim solet ab Aristotele liberalitas à magnificentia 4. Moral. ad Nicomach. c. 2. quod magnificentia constituit sumptus in magnis, maximeque publicis, liberalitas verò circa propria & priuata. Quid verò dicam de Carolo, cuius tanta fuit magnificentia, vt non solum ciues populumq; suum magnifecerit, neque solum nobilibus pauperibus annua stipendia posuerit, sed pro tota repub. Christiana omniumq; prouinciarum suarum salute, magnificentissimum in Metropoli sua Græcensi studiorũ omniſq; pietatis & scientiarum Collegium seu Academiam instruxerit, instructam dotauerit, dotatam Imperatorum & summorum Pontificum priuilegijs communierit: adhæc publicas ædes, ciuitates, Carolinam, scholas, templa, hospitalia, & similia suæ ditionis locorum partim de nouo extruendo, partim collapsas reparando, in meliusque effingendo firmauit.

Cuius optimi sui parentis exemplum, optimeq; de repub. meriti progressum secutus FERDINANDVS, qui præter quotidianas publicasque elargitiones, etiam nouas insuper adijcere voluit, multoque magis parentis sui nomen famamque extendere, suamq; ex eo obligare, dum annuis redditibus prædicto collegio Societatis Iesu Græcen. ex immobilibus bonis prouidere, veteribusq; adauctis eorundem omnium prædictis patribus bonorum tam spiritualium quam temporalium administrationem committere statuit, quod multis etiam uiris Catholicis mirandum venit, alijs verò obliquo rem oculo intuentibus multum scandalosum, quasi melius eiusmodi bona temporalia ad proditoris illius Iscariotis opinionem, venundari potuissent, alijsq; pauperibus

peribus erogari, non considerantibus piam & religiosam ipsius dantis mentem, rectamque suscipientium intentionem, Nec verò ita ferendum est iudicium de veneranda illa Iesu patrum societate, atq; de alijs religiosorum virorum congregationibus, illi namque pluribus excedunt, & priuilegiorum & statutorum suorum rationibus, quibus aliorum ordinum conuentus gaudere non possunt, sicut & in alijs ordinum religiosorum generibus multa reperire licet à se inuicem discrepantia, vt aliquibus eadem non liceat, quæ alijs. Cum ergo patres Societatis Iesu ex suâ primæua institutione in tãtum præ alijs priuilegiati existant, pluraque in Christianam rempub. commoda suggerant, mirum non est, si præ alijs maiora illis permittantur & concedantur.

Rem hanc altius consideranti æqualique lance metienti statim constabit animus noster, qui nullus est, vt ipsis blandiri velim, nihil enim magis semper exhorrui, quam eorum hominum lenocinia, quibus quod verum non est, pro vero venditant, verique mendacia veste amicunt, quamuis in scholis eorũ, fidem Catholicam edoctus, alijsque in artibus liberalibus ac scientijs imbutus, ibiq; in Græcensi Collegio patrum societatis Iesu tam in philosophicis, quam in Sacræ Theologiæ studijs lauratus fuerim, insuper ab eisdem semper in præsens vsque singulari affectione & amore prosecutus, pro quibus me eiusdem plurima debere haud diffiteor, imò omnia ipsis acceptum refero, quare pace illorum venerandorum patrum dixerim, ingens hactenus ex illorũ Sancto laudatoque instituto in Ecclesiam Dei prouenit commodum, dum non solum honestarum disciplinarum, quas liberales artes vocãt, vsum & prælectionem in tota ferè Germania introduxerunt,

ipsiusque

ipſiuſque SS. Theologiæ altiſſima myſteria longè faciliori modo propoſuerunt, ſed etiam fidei Catholicè rudimenta ita iuuentutem edocuerunt, vt paſſim vbiq; terrarum plantationes eorundem refloreſcant, ſicque per generationem quaſi in generationem in vniuerſum orbem terrarum radices egerunt. adhæc optimum ſanè longeque vtiliſſimum in clero viuendi modum exhibuerunt, quo de prauati paſſim ſacerdotum mores expurgantur, vitaq; in dies malorum renouatur. Magnum profecto ex hac ædificatione fænus in Eccleſiam Dei proueniſſe exiſtimandum eſt, maiuſq; in annos ſequentes cum patientia profecturum ſperamus.

Planè ergò iniquum dixerim & ab omni animi rectitudine alienum, qui hæc pro Dei honore molimina, & eccleſiæ incremento profectus non ſuſpiciat, veneretur & collaudet, Sed nouus ordo eſt dices? plurimumque ſibi de temporalibus attribuunt: An verò nouum Euangelicorum peſtilentiæ germen non eſt nouum quid, planèque ordo inordinatus paſſim in præcipuis Germaniæ ciuitatibus, caſtelliſq; & oppidis infeliciter auſpicatus? quis uerò huic incrementum per negabit aut quo minus de ſecularium, imò verius de Catholicorum religioſorumq; fundationibus uiuant, impedimento erit? Quòd verò prædictis patribus impenditur, ex æquo & congruo ſubminiſtratur, tanquam Dei miniſtris & legatione loco Dei fungentibus, non ad gulam, non ad faſtum, non ad luxum ſuorum, ſed ad ſuum ſuorumq; adminiſtrantium vſum & neceſſitatem, ideo tantoperè terrena concupiſcunt, ut ex opere manuum ſuarum ſudoreq; vultus ſui victũ ſibi & amictũ comparent. Neq; ipſi aliunde quàm cæteri homines orti ſunt, aut aliis quibus tegantur

& vestiantur, indigent, sed terram in rem suam cognoscunt, in quam breui redituri sunt, hancq; moliuntur, vtpote prædominante elemento, quod terra dicitur, quodq; animam aggrauat, & spiritui semper repugnat. Hinc carnis afflictio spirituſque in eandem frequens colluctatio.

Sed principibus nimis sunt familiares, suggillas. quî verò potuit fieri quod principes Dei in terris imaginem gerentes veritatem non amplectantur, eosq; diligant, quos veritatis amatores agnouerunt. Certè secundum dictum Saluatoris seipsos gladio suo transfigunt. dum ueritatem impugnant, & docentes uerum odio prosequuntur. Quod principum amicitiam beneuolentiamq; habeant Iesuitę, hoc illis ex superabundantia accidit, non ex ordinis sui instituto, hocq; solum in se uera virtus continet, quod eam omnes appetant, ipsiusq; quam maximè possunt participes fieri, tantoq; accuratius eam insectantur, quanto magis à prima ætate eandem imbiberunt, conuixeruntq; eidem. at quibus cura non est ueri neq; honesti neque uirtutis vllius, nullo negotio mala comminiscuntur, prauaq; decoquunt, quia ab adsuetis desuescere graue est, ut dixit Lycurgus, quod is pulchro exemplo demonstrat, producens aliquando in concionem Athe niens. duos canes eadem matre & eodem patre natos, quorum vnum uenationi assuefecerat, alterum in culina nutriuerat, unde producto lepore & olla, alter leporem ex institutione insecutus; alter uero ollas & offas irruit. Sic eodem patre eadem matre progeniti homines ex Adamo & Eua, alii uenationi, & exercitationi, rerumq; altissimarum contemplationi dediti sunt; alii verò escæ & uentri, nec quos aluit arduarum in rebus exercitatio animiq;

ad

ad ſuprema erexit excellentia, humilibus iſtis caducis q; eſculẽtis ad modum paraſitorum afficiuntur, ſicut nec ii, quorum eſca venter eſt, & uenter Deus, ad virtutum culmen honeſtiq; faſtigium greſſus parant, ſed ad inſtar canum pingeſcunt in culinis dominorum ſuorũ, ingluuiem ſaniemq; nutriunt. Vnde mirum non eſt, ſi leporem non capiãt, neque Ieſuitis applaudant. Verùm de his aliàs.

Vt verò res penitus cognoſcatur placuit eiuſmodi principum donationes pluribus percurrere, & oſtendere, an licitè fiant, ſingulariter verò de hoc facto Sereniſſimi Archiducis FERDINANDI, quo patribus de ſocietate Ieſu annuos redditus contulit, eoſdemque in bonis immobilibus cum ſpiritualium & temporalium adminiſtratione coſtituit.

Primò namque videtur, principem nullam facere poſſe eiuſmodi donationem, cum ex parte iuramenti, quo iurat, ſe iura regni ſui, & honorem, illibata ſeruare, vt eſt in c. intellecto. de iureiur. Tum quia fori & conſtitutiones regnorum tranſeunt in contractum & ligant principem. l. digna vox. C. de legib. per Bal. & notatur in l. cunctos populos. de ſum. Trinit. & fid. cathol. Accedit, quod alienationes quas facit princeps de bonis coronæ, ipſo iure ſunt nullæ, & poſſunt reuocari, etiamſi iuratæ ſint. d. c. intellecto. de iureiur imò quoties donatio fit vel alienatio, & iura regni diminuuntur, & enormiter lædũtur, non valet, vt in Auth. quomodo oport. epiſc. in princ. Denique ſi eiuſmodi donationes licitè fierent, vt in partibus prouinciæ; eadem ratione valerent de tota prouintia, & ſic regnum vel prouincia deduceretur ad non eſſe, regnum verò nullam recipit diuiſionem vel ſectionem, neque detractionem legitimæ, vel alicuius alterius iuris, vt not.

glos. sing. in c. licet. de vot. & voti redempt. & §. præterea. de prohibita feud. alien. coll. 10. ergò eiusmodi donationes fieri non possunt.

Plura hoc loco pro isto negocio adduci poterãt, quæ hanc rem confirmare videntur, sed quoniam res breuius solui potest, ideò distinctione vnica fiet, ex qua etiam iura superius allegata soluuntur, vt quod princeps iura regni indemnia conseruare, nihilq; alienare velit, &c. quod illa intelligantur de donatione seu alienatione volũtaria per principem facta seu facienda, & tunc obstat sibi iuramentum, & iuris prohibitio, ne diminuatur regis seu principis patrimonium, c. grandi. de supplen. neglig. prælat. in 6. & in l. prohibere. ff. quod vi aut clam. §. planè & ibidem per Bar. & tales donationes factas ipse princeps potest reuocare, & potest venire contra factum suum. vt ibi notatur.

Si autem Princeps vult alienare ex aliqua causa subsistente, aut causa est decens, rationabilis, & necessaria, vt quia vult remunerare bene meritum seruitorem, cui est obligatus, ad antidora. l. sed & si lege. ff. de pet. hær. §. consuluit. & c. 1. in feud. de natura feud. Vel vult soluere mercedem seruitorum, vel vult dare ecclesijs vel pijs locis pro remedio peccatorum, vel Ecclesias & Capellas fundare, vel vult dare Ecclesiasticis personis; tũc dummodo regnũ, vel tertius enormiter non læditur, valebit donatio vel alienatio. (quod intelligitur, si sit res alienabilis realiter, & ad ius principis spectet.) nec tunc iuramentum principis factum de conseruandis bonis prouinciæ ad has rationabiles alienationes vel donationes se extendit. in c. Abbate sane. de re iudic. lib. 6. & firmat Bart. in l. prohibere. §. plane. ff. quod vi aut clam. Qua ratione etiam tolerata fuit donatio

facta.

facta B. Syluestro per Constantinum, & dicit glo. decreti, quod per tales alienationes non læditur Imperium, quæ Ecclesiæ seu intuitu illius factæ sunt. c. Ego Ludouicus. 63. dist. quas & successor tenetur confirmare. c. Adrianus. il primo. ead. dist. Idem tenet Speculator, de donat. factis Eccles. particular. dum iura imperij enormiter non lædũtur, & ad hoc vid. Bal. in tit. quid sit inuestitura in vsib. feud. & hoc totum intelligit, si fiat ex motu proprio, non ad postulationes aliorũ, & ex causa rationabili. ex tex. singulari in l. 1. C. de petit. bonor. sublat. lib. 10.

Cum verò istiusmodi donatio seu alienatio Millestadiensis facta à Sereniſſimo FERDINANDO patribus societatis Iesu, ex rationabili causa, motu proprio, vtpote quod isthinc locorum & cultus Dei & religio in populo, quę planè exulauit, restituatur, cleruſq; ad frugem perducatur, nemo nisi impius, quin iure & optimo modo facta fuerit, dissentiet: eò potissimum, quod prædicti patres nil sibi inde ad propriam vtilitatem vendicent, sed solo victu & amictu contenti, omne reliquum in vsum ecclesiæ, & aliarum rerum ibi necessariarum, vel reficiendarum vel de nouo parandarũ accumulẽt. Nec refert quod tales donationes in bonis spiritualibus situatę sint, cum etiam principis officium requirat, Ecclesias & monasteria curare, attendereque vt omnia ritè & religiosè peragantur. Et hoc affine est sacris canonibus, c. petimus, 11. q. 1. c. nec licuit. 17. dist. vt quando hæc vel similia per Ecclesiasticum superiorem corrigi non possunt, vel quando talis Ecclesiasticus non adest, qui isthæc exequatur, vel negligentiâ sopitus iacet. c. ex transmissa. de foro competerè tamen semper si quando ex principibus eiusmodi locorum mutationes fiunt, intelliguntur fa-

ctæ

ctæ à prudente & sapiente principe, qui in quantum sua sibi valeat authoritas nouerit, quantumq; denegat. Vnde plerumque in talibus summorum Pontificum consilium requiritur, consensusque expetitur, quemadmodum in prædicta donatione seu concessione Millestadiensi factum fuisse nemo ambigere potest.

Vt verò summæ virtutis est principum liberalitas atque munificentia; ita etiam nisi benè & prouidè attẽdant, exinde ambitiosa ad maiora audenda excitari potest occasio. quemadmodum legimus in lib. reg. 3. cap. 11. & 12. quod Ieroboam, Nabath, filius ex serua matre natus adhuc iuuenis ædificationi murorum Hierosolymitanorum subseruiens, à Salomone Rege primum præfectus operi, dehinc tributo Iosepheorum contribulium, tãdem decem tribus regno subtraxit: Consilium ergo erit optimis principibus, vt dum in vitam transire viderint eiusmodi tineas, nimiumq; ex benefactis subditos exaltari, quod statim occurrant, antequam totam rempub. aut vi, aut apertè aut clandestinè occupent. Exemplo Tyberij Cæsaris, qui cum pluribus coniurationibus & factionibus Seiani generi sui infestatus esset, ad eumque populi fauorem peruenisset, vt sibi cauendum, aut de vita aut de morte consulendum esset, iussit eum compræhendi, & in carcerem conijci; quo facto, plebs quæ ei plurimum fauerat, cæpit infinitis criminibus detestari & accusare, donec ab Imperatore morti adiudicatus fuit, vt scribit Dion. Cassius in Tyberio, prout etiam narrat Sueton. in vita Tyberij, c. 65. ad hoc princeps vltionis genus non apertè sed per obliquum venit: Verba eius sunt: Seianum res nouas molientem Tyberius quamuis & natalem eius publicè celebrari, & imagines

gines eius aurea paſſim coli videret, uix tamen, & aſtu magis ac dolo, quã principali authoritate ſubuertit. Sic principes ſibi improuidè ſerpentes in ſinu, mures in pera nutriunt, & ferrum porrigunt, à quo pereunt.

Refert Polyænus lib. 4. ſtratagematω, quod Antigonus Rex cum audiſſet Pythonem Mediæ præfectum peregrinum exercitum conſcribere, & pecunias colligere, eo conſilio, vt defectionem faceret, ſimulauit ſe fidem non habere nunciantibus: Ego, inquit, nequaquam crediderim hoc agere Pythonem, cui ego quinque millia Macedonum armatorum ac Thracum, & mille præfecturæ cuſtodes paraui, quos ei mitterem; quibus auditis Python, crediderit τῇ φιλανθρωπίᾳ ideſt humanitati, & confeſtim venit ad recipiendum conſilium. Antigonus verò Pythonem in medio Macedonum receptum & introductum cæpit, & morte mulctauit ſine tumultu. Maximè in talibus caſibus accelerandum eſt principibus & rebuſpub. remedium aduerſus huiuſmodi magnatũ ambitiones, nam vbi ſe detectos vel ſuſpectos intellexerint, celerius conantur perficere, quod ceperant meditari. Proinde aliorum eſt remedium, ne diu in eodem officio eiuſmodi permaneant, quod olim diu rempub. Rom. integram conſeruauit. Contra verò facta fuit deſtructio reipub. quando facta eſt prorogatio temporis gerendorum maiorum poteſtatum. Ita Iulius Cæſar, qui nouerat ſe ad ſummam poteſtatem peruenisſe ob nimiam imperandi conceſſam licentiam, lege ſtatuit, ne quis omnino prætor anno, conſul biennio, amplius à ſuo magiſtratu continuo imperaret, Dio. Caſſius lib. 43. Sic factum eſt Senatuſconſultum Caluino & Meſſala Coſſ. ne quiſquam ex his, qui con-

consulatum vel præturam gessissent,exteriorem aliquam prouinciam antè quinquennium acciperet, quam legem firmauit Pompeius,vt Dio. Cass. li. 40.

Alij Collegas his dari oportere decreuerunt,alij, vt filios suos obsides ponerent,qui mos fuit Cõmodo Imperatori,vt ait Herodian.in 1. Melius meo iudicio foret, omnem istiusmodi hominibus præscindere facultatem ambiẽdi,eosq; depositos inhabiles ad reliqua dignitatis & honoris offitia reddere, vt pote quod indignos censeam munificentia liberalitateq; principis,qua in suam propriam & ipsius dantis pernitiem abusi fuerunt.

De Fortitudine porrò,religione atque totius regiminis progressu multa dicenda forent,latiusq; se se extenderet huius capituli summa, quare ad hoc solum cõcludendum videtur. FERDINANDVm à Deo & natura optimis præclarissimisq; dotatum præconijs,insuper & paternarum virtutum stimulis exornatum,quod suo sibi demandato officio,vti incepit,maximo cum ipsius & totius Christianæ Catholicæq; religionis profectu & incremento satisfacturus est.

Quibus autem vijs & progressibus faciendũ curabit,illud ipsum in secundo libro, Deo dante,auspicijs felicioribus dicemus, iam verò primi libri epilogum meditabimur.

CAPVT XVII.

Quantum commodi & vtilitatis accedat ex tali principe prouincijs?

A Tali igitur Principe omnium virtutum generibus,optimarumq; scientiarum disciplinis benè insti-

inſtituto, quid aliud ſequi poteſt, quàm perpetua pax, concordia, & totius reipub. trãquillitas; omnia enim ſi quæ ſunt, quæ deformare ſeu denigrare ſtatum reipub. politiamve videãtur, ipſius inſtituti eſt, abolere aliamq; formã inducere, omnia in melius cõmutare, promouere virtutes, errores corrigere, ſeditiones ſopire, omnia ordine ſuo ſtatoq; tẽpore peragere: vbi nihil pœnitendum accidit, ditatur reſpub. & ne corruat, prouidetur. Miſera autẽ contra reſpub. vbi imprudens & ignarus artis gubernandi primum cum ſua experientia diſcit, quæ in principe etiam miſerrima, ſicque dum prœpoſterè omnia geruntur, omnia quoque paulatim infeliciter ſuccedunt. Egregia ita oppida multis laboribus & ſumptibus conduntur, à principibus ſubuertuntur, reſpub. induſtria ciuium diues, principum rapacitate ſpoliatur, bonæ leges latæ à plebeis magiſtratibus, à principibus violantur. Inueniuntur certè principes natura minimè mali, & qui velint præeſſe & prodeſſe ſubditis, ſed neſciunt, imò dum volunt, & id efficere, potius ſibi & illis noceant, quàm aſſequantur, vt vera ſit illa allegoria μὴ παιδὶ τὰ μαχαίρια. nec puero gladium committendum. Certè quæ quantaq; mala oriantur in repub. vbi princeps fortis & prudens non præſidet, declarat finis libri Iudicum vlt. In diebus illis (inquit) non erat rex in Iſrael, & vnuſquiſque hoc quod ſibi rectũ videbatur, hoc faciebat. Vbi enim vindices legum deſunt, ingeniũ hominum ad licẽtiam & temeritatem pronum eſt: à principe verò ſapiente, magnanimo, iuſto & verè catholico exercetur animaduerſio in omnẽ inſolentiam, ſuperbiam, contumaciam, eſt enim princeps qui præeſt omnibus, qui conſulit atque imperat, nihil priuato ſtudio iudicioue tractandũ permittẽs,

neque vllius inferendæ iniuriæ neque vindicandæ & vlciscendæ modos supportãs. Pulcherrima huius rei extat in sacris biblijs vicissitudo, qua felicitatis & infelicitatis, boni & mali euentus ex optimo principe, eiusque vicissim defectu cognoscuntur. Iud. c. 2. quãdo populus Israel habebat principes, Dominus flectebatur misericordia, & audiebat gemitus afflictorum, & liberabat eos de cæde vastantiũ: postquã autem non habebat amplius principẽ, reuertebatur populus ad peiora, quam fecit, vnde vexati ab inimicis malisq; principibus, redierũt iterum ad Deum: Deus verò miseratus illorum dedit alium, Iosuæ scilicet, post hunc Othonielem filium Cenez, qui repletus spiritu Dei, vicit & oppressit regem Syriæ, & quadraginta annis sub eius imperio quieuit terra Israel feliciter. Sed eo mortuo addiderũt filij Israel facere malum, & statim Deus misit Eglon Moab, & copulauit ei filios Amon & Amalech, & percussit filios Israel; & postea clamauerunt, & suscitauit deditq; eis alium saluatorem, Aod amphidextrũ, qui percussit Eglon & Moabitas, & quieuit terra sub eius principatu & sub Samgar, qui ei successit. Iud. c. 3. Verùm sublato Aod iterum filij Israel exacerbati sunt, & tradidit illos Deus in manus Iabin Regis Chanaan, quibus clamantibus ad dominum, misit illis Barac. Iud. c. 4. cum Debora, & deleuerunt regnum Iabin. Sed rursus addiderunt facere malum in conspectu Domini, & tradidit illos Deus per septem annos in manus Madianitarũ, à quibus valdè vexati, redierunt ad Deum, qui misit illis ducẽ Gedeonem. Iud. c. 6. quo mortuo auersi sunt filij Israel à Deo, & fornicati sunt in Baalim, percusseruntq; cum Baal fœdus, vt esset eis in Deum, nec recordati sunt Dei sui: qui eruit illos de manibus inimicorum

suo-

ſuorum omnium in circuitu, nec fecerunt miſericordiam cum domo Gedeon, iuxta omnia quæ fecerat Iſraeli.

Similia reperiuntur in reliquis Iudicum libri capitibus: Ex quibus cognoſcere licet, quantum boni reipub. cotingat ex bono & optimo principe, quantumq; malum ex ipſius abſentia.

Nec valet ſi dicas, ſemper eſſe principē in repub. quoniam ſi negligens ineptus eſt, imprudens ſit, nullum ex ſua adminiſtratione reſultare poterit cōmodum, cum tātum ſit non eſſe principem, quàm eſſe, & malum & peruerſum moribus & ingenio: alia namq; talis principis nō eſt vtilitatis occaſio, quàm ſibi ſimilem reddere reliquum hominum cętū, cunctaq; peſſundare. Et ſi in quotidianis rerum vſibus deficiat, quid in grauioribus, & de rarò contingere ſolitis ſperandum erit? quomodo pacem conciliet de inimicis? quomodo hoſtem iamiam ingruentem atque præ muris operientem expediet? actum ſanè erit de principe, totoq; ipſius regno, neque vt ait S. Ioan. Chryſoſt. ſuper cap. 5. Eſa. ciuitas tam conſiſtit in lapidibus & lignis, & mœnium ambitu, quam in prudentia & ſagacitate eas incolentium. Teſtes huius rei nobis eſſe poterūt factæ literæ, in quibus Dei populo eiuſmodi felicitatem contigiſſe ex principū prudenti conſilio fortiq; animo legimus, neque ſolum hoc, ſed etiam quod caput totius negotij eſt, omniſq; benè inſtitutæ reipub. ſummarium, ſacra cum mundanis, leges cum religione, ciueſq; cum clero ſalutem inde ſibi & proſperitatem accepiſſe. Vniuerſæ igitur Iſraelitarum reipub. magno quoad durauit ornamento & emolumento, ſingulis denique hominibus ad virtutem documento, & ad beatitudinem adiumento fuit ſtrenuus ille Dux Ioſue

filius Num, Iud.c.2. ipso verò desiderato,recordatio beneficiorum diuinorum obscurata,statimq; ab illa patrum grauitate degeneratum fuit, mox verò reipub.illius integrę splendor,impuris moribus obsoleuit, indeq; ad vana opinionum atque doctrinarum commẽta, in insanas de natura diuina fabulas, mixtas & perturbatas de religione sententias aberratum,ac demum omnis cum singularum ac priuatarum,tum publicarum facies rerum,in fędissimam turpitudinẽ, detestabile dedecus, impurissimamq; labem commutata est,vti legitur Iud.c.2. Mortuus est autem Iosue filius Num,famulus Dei centum & decem annorum,& sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnatsare, in monte Ephraim à Septentrione ad plagam montis Gad, omnisq; illa generatio congregata est ad patres suos,& surrexerunt alij,qui non nouerũt Dominum,& opera quæ fecerat in Israel.

Ex quo colligitur, quod Iosue veteris pacti fidelis minister, cæteriq; boni ac sapientes illius ætatis viri populi duces,qui & paternam pietatem sectati, & fidem imitati fuerant,& spem retinuerãt,è viuis sublati, noua deinceps hominum, morumq; facies extiterit, ab illa priore longe dissimilium, qui non nouerunt dominum, & opera quæ fecerat cum Israel, sed priuati consilij sui rationem secuti,contempto veri Dei cultu,idololatriæ labe infecti sunt, ac sensim quem defensorem & propugnatorem populus Israel habuerat, vindicem & vltorem seuerum expertus est, vt testantur verba sacri textus Feceruntque malum Israel in conspectu Domini,& seruierunt Baalim.

Si aliud nullum sit reip. commodum ex bono & catholico principe,hoc vnicum maximũ erit,quod

diuini

diuini cultus disciplina,& religionis ac vitæ institu-ta,certa quadam ratione conseruantur, & retinen-tur. Accedit aliud,quod quam diu superstites Iudi-ces erant Dei fulti auxilio & fauore, eximebant po-pulum sibi commissum de manibus hostium suorũ. Suscitauit, ait,iudices Dominus, & liberauit eos de manu deprædantium eos.

Nec illud minus vtilitati & consolationi ciuiũ omniumq; prouinciarum Styriæ,Carinthiæ,& Carniolæ accedit,quod FERDINANDVS earundem iam mores expertus, viuẽdiq; rationes cognouerit, faciliusq; si quippiam extra seu præter lineam æqui & boni acciderit, dummodo totum communitatis bonum, finisq; inter legum suarum enormiter non lædantur,conniuere, ipsisq; compati nouit,quod in alijs principibus fortè non continget, qui vita, mo-ribusq; & religione contrariantur: nemo enim du-bitat,quin secundum regiones & prouincias,multa in moribus,honestiq; ratione æstimanda variantur, non minus,quàm in ipsarum rerum proprietatibus, quod exemplis probat Aemilius Probus in princ. de vita Impp.Græcorum. facta ad seinuicem colla-tione morum Græcorum & Romanorum, & eius quod honestũ vel inhonestũ videtur inter vtrosque.

Vnde cum princeps ignarus morum honestique ciuium eorum suis voluerit omnia adaptare mori-bus, non tam emendabit atque proficiet, quàm di-sperdet,& peccatũ generabit immedicabile, neque lex eius voluntas, statutaq; merebuntur nominari, si non ponantur pro locorum moribus apta.

Irridetur Plato ab Atheneo lib.2.dipnosophiston c.22.quod videatur non existentibus viris leges scri psisse,sed hominibus à se fictis,ita vt qui his vtãtur, postea inquirere oporteat. Est autẽ, ait Aristot.lex

de-

determinata ratio iuxta ciuitatis consensum, quæ singula, quo pacto facienda sunt, declarat. Sic reprehendit Seneca 2. lib. de benefic. c. 2. Marcum Brutum pro interitu Iulij Cæsaris, quod eo modo putauerit mutandam speciem reip. Romanæ, tollendo tyrannum, & acquirendo libertatē, cum tamen mores non essent tunc populi, qui possent illa libertate vti, vnde deterius potius erat futurum.

Difficile autem est tali principi persuadere, id honestum videri, quod populo videtur. cum illius moribus assuetus non sit. Vnde Deus ipse iussit leges suas conseruari in populo, prohibendo seuerè, ne vnquam alius rex vel princeps regnet in populo, nisi populi morum, legumq; & statutorum illius notitiam habens. Deut. 17. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus: ex eo enim quod mores populi immutantur, etiam religio mutetur necesse est in subditis, quo nihil peius. Vnde Deus arbitrarius, incerta lex cum incertitudine adipiscendæ salutis. Norunt id quidā in Germania, & qui nunc Turcarum ditioni subduntur.

At verò FERDINANDVS paternarum legum morumq; prouinciarum suarū non immemor, statutorumq; omnium plenam habens cognitionem, ita omnium consensu, vnanimiq; applausu, in principem dictarum prouinciarum paternarum constitutus est, quod nulla dei inceps inter ipsum & sibi subiectum populum, siue de morum iudicio, siue legum faciendarum ratione, disceptatio oritura est; imò sibi plurimum ipsis gratulari debent, quod charissimi sui principis Caroli, à quo ipsorum respub. multis vigilijs periculisq; vitæ adiuta, aucta, & conseruata fuit, filium FERDINANDVM sibi in successorem reliquerit, quem enim prouinciæ viuen-

tem

tem Carolum coluerant tanquam patrem,& à quo viuente patris officia acciperēt, non niſi vtilem pro ipſis electurum & nominaturum eſſe, & ad gubernacula idoneum teſtificantur: Vtique pluribus ſeditionibus obuiam itum eſt,ex hac facta præuiſione, & ciuilibus diſcordijs, quæ ſolent inter contendentes de principatu & ambitioſos oriri, à quibus ſępè ad interitum redacta ſunt ad imperia: atqui vt priuati bona ſua, ſic etiam Imperatores aliquādo inter liberos ſuos teſtamento imperium diuiſerunt, ſicut Conſtantinus Magnus tres filios hæredes Imperij reliquit,nulla adhuc lege de ſucceſſione vel electione Imperatoris poſita. Theodor. lib. 11. hiſt.eccleſ. cap. fi. Sic idem multa quæ acquiſiuerat,& imperio ſuo adiecerat viuens, alijs quoque ante communicauerat imperium,quos poſtea debellauit. Sic Alexander Magnus moriturus cum deficeret, & inquiſitus ab amicis, quem imperij faceret hæredem,reſpondit,digniſſimum fore imperatorem: qua voce cum bellicū ceciniſſet inter amicos,omnes in æmulationem conſurgebant, & ambitione iam militum & vulgi fauorem quærebant, donec ſexta die à decubitu præcluſa voce exemptum digitc annulum Perdicę tradidit,quę res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedauit. Atqui ex hac Caroli pientiſſimi Principis ſolicita cura,vigiliq; ſolicitudine,magnū nobis omnibus auxilium aduenisſe dicemus, pariterq; omnia bona ſimul cum Sereniſſimo FERDINANDO accedere,ſalutiſq; eum corporis æternæ felicitatem,pacem,& nunquā interrituram reipub. tranquillitatē,ſi eius dicto obediētes, ſanctiſſimiſq; ordinationibus obſequentes fuerimus, Cuius vt nobis magis patefiat officium,muneriſq; ſui debitum, id in ſequenti libro,Deo volente,aperiemus.

Finis Primi Libri.

62492

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google